
ZELLER. Chilonidarum et Crambidarum Genera et Species. 1863.





Programm

der

KÖNIGLICHEN REALSCHULE ZU MESERITZ

womit

zu der am 30. März 1863

stattfindenden

öffentlichen Prüfung

alle Gönner und Freunde der Anstalt, insbesondere die Eltern und Angehörigen sämmtlicher Schüler

ergebenst einladet

der Director

Dr. **H. Loew,** *Prof.*

INHALT:

1. *Eine naturwissenschaftliche Abhandlung vom Prof. Zeller.*
2. *Schulnachrichten vom Director.*

Meseritz.

Gedruckt bei F. W. Lorenz.

1863.

Chilonidarum et Crambidarum

genera et species.

Scripsit

P. C. Zeller.

Quum inter peritissimos nostri aevi lepidopterologos constet Chilonidarum et Crambidarum locum esse apud Pyralides, mirum videtur, quod non desunt qui aut de ea re dubitent aut eam negent. Inter quos imprimis Gueneus commemorandus est, quippe cujus praecepta plerique in Gallia et Anglia sequantur. Tantum enim abest ut is quae aliorum sagacitate explorata et correcta erant, probaverit, ut iis non sine contemptione rejectis falsas veterum de Noctuis et Pyralidibus opiniones retinuerit. Nec tamen sibi constitit; nam Eudoreas, quae olim inter Tineas referebantur, Pyralidibus immiscere non dubitavit. Longus est demonstrandi labor ceteros Crambidas et Chilones non minus ibi excipiendos esse, quem (non ea quidem spe ductus fore ut Guenei sententiam mutarem) tamen susciperem, nisi et spatium libelli hujus vetaret et scirem Ledererum entomologum prae ceteris perspicacem de ordinanda Pyralidum familia opus in manibus habere, in quo omnia haec diligentissime exposita et figuris illustrata erunt.

Quae igitur ipse praestare volui, haec sunt. Chilones et Crambos varietate formae et colorum ornamentis inter Lepidoptera minora admodum commendari non est qui neget. Quare quum numerus specierum, quae Europam incolunt, non exiguus sit, tanta fuit diligentia in iis colligendis, ut ad novas detegendas remotissimae jam partes adeantur et tamen copia inde exilis reportetur. Unde factum est, ut variis locis describerentur. Longe vero alia res est, si species eas spectamus, quae reliquis orbis partibus gignuntur. Suas quamque habere videmus, quum ex quibuscunque minores Lepidopterorum formae advectae sunt, etiam Crambidae inter eas esse soleant. Vehementer autem fallatur qui, quod paucae eae plerumque species sunt, summam omnium cum Europaeis comparatam parvam esse suspicetur. Incredibilis enim eorum, qui rebus naturalibus conquirendis in terris remotis operam dant, negligentia et, ut verum dicamus, pigritia est Lepidoptera minuta colligendi, etiamsi alia minoris molis corpora non contemnunt. Quae causae hujus mali sint, non attinet hic explicare. Sed valde dolendum esse facile concedent qui quae in museis sive publicis sive privatis asservantur, inspexerunt et Crambidarum et Chilonidarum ibihabitum lacerum non sine indignatione testati sunt. Inde vero accidit, ut qui de iis scripserunt multo majorem numerum specierum, quas ante oculos habuerunt, transierint silentio quam literis consignaverint. Et ut specierum Europaearum, ita exterarum descriptiones per varios libros sunt dispersae. Jam quum nihil ad rei cognitionem promovendam utilius sit, quam scire, quid in ea sit effectum, propositum mihi fuit omnes species adhuc publicatas colligere et, quantum possem, in ordinem naturae consentaneum redigere. Tale negotium facilius suscipi, difficilius ad effectum perduci patet, quamvis hoc tempore increverit in rebus transmittendis celeritas et paratus sit virorum doctorum animus ad studia aliorum adjuvanda. Quanta raritas quorundam librorum! Quam necessarius usus in ipsius saepe possessoris studio! Quam fragilis in statu exsiccato multorum animalium conditio! Ne quis igitur, ubi aliquot species in catalogo meo deesse repererit, me fallacem libello titulum inscripsisse criminetur, nonnullos libros, quos aut omnino non aut parum consului, nonnullas species, quas in ordine omisi, indicabo. Ex iis ante omnes Hübneri de Lepidopteris exteris liber commemorandus est. Quem licet ante complures annos comparaverim, et quae mihi tum utilia esse viderentur, notaverim, tamen duae effigies Crambidarum, quae ibi exstant, tantam dubitationem moverunt, ut melius duxerim de altera (Agriphila perstriali) in adnotatione pauca dicere, alterius prorsus nullam mentionem facere; nam Topeutis respersalis, quam Hübnerus Schoenobio gigantello simillimam esse scribit, propter alarum posteriorum brevitatem — si recte notavi — in eodem cum illo genere collocari nequit. Nec me omnes Crambidas in eo libro vidisse confirmaverim. Crameri quoque opus olim inspexi, sed num Chilones aut Crambos, qui secundum figuras describi potuerint, contineat, non jam recordor. Nec Donovani, qui et ipse paucas species pinxit, denuo

comparandi mihi potestas fuit. Magis vero miretur aliquis, quod quum Clementis tractatu, qui „Contributions to American Lepidopterology“ inscribitur, in conficiendo meo libello usus sim, non minorem specierum omisi numerum quam attuli. Causa, propter quam Crambi luteolellus, caliginosellus, mutabilis, elegans, Chilones mulinellus et aquilellus apud me desiderantur, non est alia, quam quod eas species non vidi; verba autem Clementis in latinum convertere, quamquam paucitas eorum minime impediebat, plane inutile arbitratus sum, quia in magna specierum copia, quam in America temperatiore vivere certissime scio, magis ad obscurandam quam ad illustrandam scientiam contulissem. Speraveram me ab ipso Clemente eas species, quas ab aliis non acceperam, esse accepturum, sed turbae civiles virum cogere videntur, ut animum ad alias curas advertat. Maneant igitur illae species, donec tam accurate, ut erroris occasionem nullam praebeant, describi possint. Nec me nego Fabricii species minus studiose quam aliorum scriptorum eruere conatum esse. Summi faciant eum et inter deos fere referant Coleopterologi; in iis, quae de Lepidopteris scripsit, magis dissolutam quandam negligentiam ostendit quam adjumentum paravit Lepidopterologis. Poeniteat de ulla specie Fabriciana opinionem proferre, quum proximus quisque, qui ad eam interpretandam accedit, aliam opinionem proferat! Ita vix Pyralidem saccharalem Fabr. ad Chilonem culmicolellum referri posse pronuntiavi, quum Gueneus eam ad speciem longe diversam revocat.*) Itaque quum totus omnium Chilonidarum et Crambidarum numerus a me coactus non sit, hoc vitium ea re quodammodo compensandum putavi, ut multas species novas, quae aut in meo museo adsunt, aut ab aliis mihi commodata sunt (inter quos Kollari memoria laudanda est, qui universas musei Imperialis Vindobonensis species misit) diligenter descriptas adderem.

Deinde in hoc libello studui, ut species non in aptos modo locos distribuerem, sed etiam certis notis inter se distinguerem. Quae nisi tantam ambiguitatem habent, ut hodie de extricandis desperetur, operae pretium me fecisse confido. Non est, quod de ambitu definitionum me excusem, quas si poteram brevissimas, in universum vero non longiores scripsi quam res sibi poscere videbatur. Ab eorum enim opinione maxime dissentio, qui tum demum rem bene illustratam putant, quum magnam verborum copiam in definitiones intulerunt. Qua re nihil ex meo judicio efficacius esse potest ad rerum cognitionem obliterandam, quoniam graviores notae, quae tenendae sunt, cum leviorum turba commixtae, velut insulae in oceano, magno cum labore investigantur. Pari in errore ii videntur versari, qui definitiones omnes adspernati amplas tantum descriptiones scribunt. Quum enim ibi quoque graviora inter levia et inconstantia laboriose quaerantur, harum descriptionum idem est vitium atque illarum definitionum, ut commodi discentium ratio parum habeatur. Definitio alia sit oportet, alia descriptio; illa, quantum fieri potest, paucis verbis absoluta esto, haec notas vel levissimas, modo ad augendam cognitionem faciant, complectitor. Tales ut efficerem, magnopere laboravi, nec vereor, ne nimis a consilio aberraverim.

Denique numerum generum putavi esse augendum. De iis, quae ab aliis recepta sunt, nihil dico, quum naturae jussu recepta esse facile intelligatur. Sed Cramborum agmen tantum est, ut valde curandum sit, ne quae species inter se vinculo certo cohaerent, a reliquis autem magis abhorrent, cum grege confusae permaneant. Calamotropha igitur et Catharylla, suo utraque jure a me constitutae videntur. Quibus remotis numerum Cramborum tamen ingentem restare fateor. Hunc, quum notas generibus condendis commodas non reperissem, in classes idoneas dividere conatus sum. Quodsi Guenei exemplum sequi voluissem, unam speciem (Cerussellum) generis nomine a tota summa sejungere potuissem, sed quum ab aliis, quibuscum eam collocavi, ne minima quidem re differat, causam justam, cur ex reliquis eximatur, nemo sanus excogitet. Idem vir generum fabricandorum et novorum nominum creandorum cupidissimus in libello, qui nuperrime demum in manus meas pervenit, Boisduvalii genus Sindrin proxime ad Scirpophagas posuit, et novum genus, quod nomine barbaro Borer exornavit, tanquam Schoenobiis affine instituit. Sed quum nec Boisduvalii librum cum Sindri nec ullum Boreris animal viderim, haec quoque genera potius praetereunda quam secundum aliorum notas incertas indicanda censui. Quae si bona sunt, in alio opere, quod brevi certe necessarium erit, una cum Eudoreis, quas hic tractari angusti plagularum fines vetuerunt, repetentur.

---

*) Note sur l'île de la Réunion 1862 p. 70. Sed quae ibi de chrysalide inermi leguntur, fortasse ex errore originem habuerunt. Spinulosam chrysalidem, qualem Pyralidis saccharalis esse Fabricius dicit, ad Chil. culmicolellum pertinentem, ni fallor, ipse quondam vidi.

SCIRPOPHAGA Tr.

Frons lata. Ocelli duo pone oculos. — Palpi breves subfiliformes, porrecti; maxillares pilosi subcylindrici labialibus incumbunt. — Haustellum breve, convolutum. — Antennae setaceae, ♂ longiores, ciliatae. — Alae elongatae, unicolores; posteriores pectine nullo. — Tarsi postici elongati. — Anus ♀ barba densa vestitus. — Larva intra caules plantarum aquaticarum vivit. —

Genus hoc Schoenobio maxime affine facile distinguitur palporum brevitate, qui caput paulo excedunt, et alis sericeis unicoloribus. — Species multae sine dubio in regionibus calidis habitant. — Nomen generis ex vocabulo latino Scirpus et Graecorum φαγειν compositum aegre fertur.

1) PRÆLATA Scop. *Nivea, minus nitida, palpis concoloribus, tarsis omnibus nigricantibus albo annulatis; barba anali exalbida longiore; alis ♀ acutioribus, ♂ subtus infuscatis.*

Phalaena praelata Scopoli Faun. Carn. p. 198. — Alucita latidactyla Hübn. Beiträge II. 1, 27. tab. 4. fig. u. — Tinea phantasmatella Hübn. fig. 56 pag. 23. — Scirpophaga phantasmella Tr. IX, 1. 56. X, 3. 56. — Dup. Lépid. de France X, 18 tab. 267 fig. 1. 2. — Bombyx alba Hübn. fig. 309—312. — Freyer N. Beiträge I. p. 18. tab. 9 fig. 1, 2. — Scirpophaga alba Z. Isis 1839. 170. — Herrich-Schäffer Pyral. p. 52. fig. 22, 23. — Scirpophaga Albinella Guenée Cat. 96. — * Tinea dubia Rossi Faun. Etrusca. —

Alae hujus plerumque minus laete sericeo nitent quam exterarum; palpi unicolores et tarsi nigricantes alboque annulati a ceteris speciebus nostram distinguunt. — Corpus totum album, excepta barba anali, cujus color in flavidum vergit. Palpi capite vix longiores, crassiusculi, acuti. Antennae ♂ longae (¾ abdominis attingunt), biseriato-ciliatae; ♀ tenuissimae, thorace non longiores. Barba analis ♀ valde pilosa, thoracis longitudine, ochraceo exalbida, pinguedine colorem magis flavum nanciscitur. Pedum anticorum femora et tibiae in latere adverso cinerea; ♂ etiam pedum intermediorum pars adversa cinerea; tarsi omnes nigricant, articulorum apicibus albis. — Alae anteriores ♂ 7—9, ♀ 9—10‴ longae, ♂ postice subdilatatae et modice acutae, ♀ postice acuminatae, apice acutiore. Costa ♂ ad basim fuscescit. — In posterioribus furca venae medianae terminalis a ramo praecedenti satis distat, venula transversa ex basi ultimi rami oritur. — Subtus alae niveae et magis quam supra nitidae; ♂ anteriores totae, praecipue postice et in costa, et posteriores juxta marginem anteriorem fuscescenti suffusae sunt. Vena transversa cum vena mediana in ipsa ejus furca anali conjungitur. Cilia nivea. — Patria: Europa calidior, fortasse etiam Africa septentrionalis: Hispania (Brittinger), Gallia australis (Dup.), Italia (Hübn.), Carniolia (Schmidt), Hungaria (Freyer), Sarepta (Christoph.) — Larva intra Scirpi lacustris culmos vivit; imago per Augustum volat, fortasse etiam Julio.

***2) CINEREA Kokeil in lit.** *Tota sericeo-cinerascens, alis post. dilutioribus.*

Tr. X, 3. 156 (cum Phantasmella). — Tinea phantasmella var. Freyer N. Beitr. 2, 119, tab. 168. f. 1, 2.

Non vidi hanc, sed pro sola varietate vix habeo. Simillima est *Praelatellae*, nec forma distingui videtur. Differt colore ubique cinereo, non niveo, praecipue in alarum anteriorum pagina superiore. Si Freyeri figuram sequeris, barba ♀ analis brevior est quam in illa et antennae ♂ breviores, non ciliatae; sed in talibus rebus Freyero nunquam est fidendum. Freyerus quidem nihil esse hanc nisi varietatem *Praelatellae* dicit, sed non intelligitur, cur pagina ♂ inferior superiorem obscuritate non superet. — Patria: Carniolia (Tr.)

3) CHRYSORRHOA. *Alis sericeis, ant. acutis flavescenti suffusis, post. niveis; tarsis fuscis albido annulatis; barba anali ochracea.* ♀. —

Valde insignis antennis annulatis, alis ant. flavescentibus, barba anali ochracea. — Minor mare *Praelatellae*. Corpus niveum. Antennae breves, albo fuscoque annulatae. Palpi (detriti) albi, exterius leviter infumati, capite paulo longiores, tenues, acuti. Pedum anticorum tota pars adversa fuscescit. Omnes tarsi ex brunneo fusci sunt, articulorum apicibus anguste et sordide albidis. — Alae ant. vix 8‴ longae, angustiores et acutiores quam *Scirp. praelatellae* ♀, sericeae, flavescenti suffusae, praecipue adversus basim. Cilia nivea. — Alae post. niveae, nitidae.

Venarum cursus omnino fere ut in illa specie. — Subtus alae omnes sericeae niveae; anteriores hic multo minus flavicant quam superne. — Patria: Java insula, ubi circa Bataviam tempore pluviali volat.

4) **AURIFLUA.** *Alis sericeis, ant. acutis exalbidis, post. niveis, pedibus anticis praeter femora fuscescentibus, reliquorum pedum tarsis cinerascentibus; barba anali ochracea.* (♂ — —)

Proxima *Chrysorrhoae*, differt alis ant. magis elongatis, albis, vix ulla flavedine admixta, femoribus anticis albis, palpis exterius vix cinerascentibus. A *Gilviberbi* distinguitur corpore multo majore, palpis albis, barba ferruginea. — Statura *Chrysorrhoae*. Palpi labiales duplici oculorum longitudine, tenues, apice articuli secundi incrassato, articulo terminali tenui, deflexo, albi, exterius canescentes; palpi maxillares nivei. Antennae cinereae, albo squamatae, adversus apicem obsolete annulatae. Pedes antici in latere adverso fuscescentes, femoribus albis; tarsi medii dilute fuscescunt, apicibus articulorum albidis; postici in basi albidi adversus apicem cinerascunt exceptis articulorum apicibus. Abdomen album, barba anali ochracea, quam *Chrysorrhoae* obscuriore. — Alae ant. subelongatae, acutae, margine postico recto, sericeae, albae, vix basim versus exalbidae. Subtus nitor sericeus exiguus. Alae post. pure albae. Vena transversa, ut in *Chrysorrhoa*, ex furca venae medianae terminali emittitur. — Specimen unicum meum prope Calcuttam captum est.

5) **GILVIBERBIS.** *Minor, alis ant. sericeis exalbidis, palpis infuscatis, barba anali ochracea, exterius albido mixta.* (♂ — —).

Parvitate et colore alarum ant. nonnihil flavescente, palpis ac pedibus infumatis a ceteris differt. — Magnitudo *Sc. virgineae.* Caput et thorax alba, non prorsus pura. Palpi labiales duplici capitis longitudine, exterius infumati, articulo terminali albo. Antennae tenues, fuscescentes, dorso ex basi albo. Pedum anticorum coxae albae, femora infuscata, tibiae fuscescentes, tarsi apicem versus fusci. Pedum mediorum tibiae griseae, tarsi paulatim fuscescunt, articulorum apicibus non albidis. Eaedem posticorum partes dilutius cinerascunt. — Abdominis color obscurus per squamas sericeo albas, quibus tegitur, translucet. Barba analis ochracea, pilis externis albidis. Alae ant. 6''' longae, acutae, margine postico subconvexo, albae, non niveae, sed flavedine exigua immixta sordidae. Subtus quoque albedo flavicat. — Alae post. niveae. Vena transversa ut in *Auriflua* posita est. — Specimen femininum, quod descripsi, ad Calcuttam est captum.

6) **LEUCATEA Kollar in lit.** *Alis omnibus sericeis et tarsis niveis, palpis supra brunneis.*

Similis *Praelatellae*, differt palpis non unicoloribus, tarsis niveis, antennis multo longioribus, alis omnibus unicoloribus, venis posteriorum aliter conjunctis. — Magnitudo *Praelatellae*. Color niveus nitidus. Antennae (♂ desunt) ♀ tenues, setaceae, abdominis dimidium paulo superantes, brevissime pubescentes, in toto dorso niveosquamatae, ceterum brunneae, apicem versus nigricantes. Palpi maxillares brunneo-lutei, superius nivei; labiales capite vix longiores, tenues, acuti, subtus niveo pilosi, superne brunnei ad apicem usque. Haustellum tenue corneum contortum. — Patagia pilosissima pilis valde divaricatis. Pedes omnino nivei, tantum anticorum coxae et femora vittae instar infuscata sunt. Abdominis color nigricans postice per squamas niveas translucet. (Barba analis omnino fere detrita colore fortasse niveo est, pilis internis tamen fulvis). Maris partes anales squamis et pilis niveis indutae sunt. — Alae ant. 8—9½''' longae, forma *Praelatellae* similes, sed paulo latiores, margine postico convexo. Color subtus in ♂ non infumatus. In posterioribus venula transversa a medianae furca terminali longe distare et paulo post ramum praecedentem inseri visa est. — Comparavi specimina 1 ♂ 3 ♀, non bene servata. Patria Brasilia (Rio Janeiro) et insula St. Thomae (Kollar.)

Adnot. 1. Feminam misit Kollar valde corruptam, sed alis, pedibus, antennis *Leucateae* simillimam. Quum palpi desint, differentiam in eo tantum inveni, quod in alis post. venula transversa in basim fere furcae medianae immissa est ideoque a rami praecedentis origine longissime abest. Tempus doceat, utrum hoc varietatis signum sit an diversae speciei. *Surinamella Koll.* haec in museo Vindobonensi vocatur, nomine ex patria desumpto.

Adnot. 2. Inter *Lithosidas* species Americanae exstant, quae colore et forma alarum facile cum *Scirpophagis* confundi possint. Agnoscuntur abdomine brevi, obtuso, imberbi, pedibus posticis brevioribus tibiisque eorum breviter calcaratis, palpis maxillaribus subnullis, haustello longo.

7) **VIRGINEA Z.** *Minor, nivea, sericea, palpis concoloribus, tarsis cinereis albo annulatis, alis ant. subacutis; barba anali longiore.*

Scirpophaga virginea Z. Micropt. Caffr. p. 67.

Statura exigua, niveo et alarum et barbae analis colore facile cognoscitur. — Patria Africa australis.

8) **ALBINELLA Cramer.** *Alis omnibus sericeis niveis, anterioribus subtus antice fumatis, tarsis mediis posticisque subtus brunneis; barba anali ferruginea* (♂ — —).

Albinella Cramer II. tab. 372. fig. D.

Major quam *Praelatella*, certissime distincta alis ant. acutioribus, venis posteriorum aliter conjunctis, barba anali vitellina. A *Leucatea* differre videtur venis alarum et pedum colore. — Capitis thoracisque squamae pleraeque detritae. Antennae compressae, non crenatae, fusco brunneae, dorso niveo squamato. Palpi (maxillares deleti), labiales vix oculi diametrum longi, acuminati, fusci, interius et subtus nivei. Pedes albi, antici in adverso latere luteo-brunnei; mediorum tibiae brunnescenti suffusae, tarsi subtus luteo-brunnei; posticorum tibiae albae (tarsi desunt). Abdomen valde elongatum, squamis sericeis niveis vestitum; barba analis ferruginea in basi squamis niveis tecta. — Alae ant. 10''' longae, postice valde dilatatae, apice subacuminato, niveae, sericeae, subtus juxta costam infuscatae, costae ipsius parte basali fusca. — Posteriores acutae, adversus angulum analem valde dilatatae, niveae, unicolores. Venula transversa venae medianae propius ad ramum primum quam ad furcam apicalem, sed non tam prope quam in *Leucatea* inserta est. — Patria ignota (Herrich-Schäffer).

Adnot. Cilia alarum ubique dimidio breviora quam in *Praelatella*, quod nescio utrum naturae debeatur, an, quod adspectus minus verisimile facit, tempestati et venatoris negligentiae.

9) **MONOSTIGMA.** *Minor, alis sericeis, ant. albis, puncto disci nigro post medium, post. niveis; abdomine pallide ferrugineo.* ♂ (♀ — —).

Insignis alarum ant. puncto nigro abdominisque colore. Simillima *Schoenobio punctello*, sed genere differt. Magnitudo *Virgineae*. Caput niveum. Antennae crenulatae, pubescenti-ciliatae, fuscae, dorso niveo. Oculi magni nigri. Palpi maxillares oculo dimidio vix longiores, nivei, basi superius brunnea; labiales vix duplicem oculi diametrum longi, nivei, in basi superius brunnei, articuli terminalis basi exterius brunnescenti-mixta. Haustellum ochraceum. Thorax niveus, patagiorum pilis valde divaricatis. Pedes albi, antici in latere adverso dilute brunneo-suffusi, mediorum tarsis brunnescentibus, posticorum tarsis vix sordidis. Abdomen in basi niveum, deinde paulatim obscurius colore ferrugineo tingitur, qui color in dorso maculas obscuriores efficere videtur, ante barbam analem annulum quasi obscuriorem efficit. Venter magis albidus. Alae ant. 5''' longae, forma *Chrysorrhoae*, sed paulo angustiores minusque acutae, nitidulae, albae, flavedine levissime immixta. Ad venae medianae rami secundi originem punctum magnum, rotundatum, nigrum. — Posteriores niveae nitidulae. — Subtus anteriores levissime infumatae sunt. — Patria ignota. (Herrich-Schäffer.)

SCHOENOBIUS Dup.

Frons lata. Ocelli duo pone antennas distincti. — Palpi labiales longi, compressi, attenuati, porrecti; maxillares triangulares, compressi, labialibus incumbunt. — Haustellum breve convolutum. — Antennae setaceae, ♂ longiores, crenulatae, ciliatae; ♀ breves, tenues, pube tenerrima. — Alae rarius unicolores, anteriores ♂ latiores et minus acutae quam ♀; posteriores pectine carent, apice angulum anteriorum analem superant; vena mediana quadrifida. Pedes postici elongati, tarsis tibias aequantibus. Anus feminae dense lanatus. Larvarum vita intra graminum caules.

Differt Schoenobius a Scirpophaga palpis labialibus longis, thoracis longitudinem excedentibus, a Chilone antennarum ♀ brevitate, barba ♀ anali densa, pedibus posticis longioribus, pectine in alis posterioribus nullo; ab Ancylolomia alis ant. ante marginem posticum praeter puncta marginalia non pictis, margine postico integro, ante apicem non impresso etc.

1) **CAMINARIUS.** *Parvus, alis ant. angustis, fumido-nigris, punctulo medio niveo atro-cincto, post. cinerascentibus.* ♀.

Schoenobius caminarius Z. Micropt. Caffr. p. 68.

Patria: Africa australis.

2) **CHRYSOSTOMUS.** *Epistomio palpisque brunneis, auro-nitentibus; alis niveis, anteriorum vitta brevi costali ex basi fusca, strigula ante apicem ex costa ferruginea* ♂.

Schoenobius chrysostomus Z. Micropt. Caffr. p. 68.

Patria: Africa australis.

3) PUNCTELLUS. *Flavido-albidus, alis ant. acutis, ochraceis, unicoloribus, puncto disci post medium nigro* ♀.

Magnitudine variabilis, alarum ant. forma barbaque anali truncata ad *Scirpophagas* accedit. Color in universum ex ochraceo albicat. Palpi thorace vix longiores, paulatim attenuati, acuti, albidi, exterius subochracei. Capitis pars supera alba. Antennae in dorso albae. Patagia dilute ochracea. Pedes exalbidi, antici in latere adverso ochracei, tarsi antici et medii distinctius quam postici lutescenti-cinerei, apicibus articulorum albidis. Abdomen ochraceum, squamis albidis, quae facile detergentur, vestitum. Barba analis densa, truncata, ochraceo-grisea, pilis externis basim versus albidis. Alae ant. 4 — $4\frac{1}{2}'''$ longae, postice sensim ampliatae, acutae, margine postico leviter convexo, ochraceae, ad costam paulo saturatiores, puncto nigro magno rotundato, interdum elongato, in venulae transversae basi. Cilia saturatius ochracea. — Subtus color stramineus, in costa postice et in ciliis ochraceus. Posteriores exalbidae, subtus circa margines subochraceae, quemadmodum cilia.

Habitat circa Calcuttam et in insula Java.

4) SORDIDELLUS Zckcn. *Alis lutescenti-griseis, punctulis omnium alarum marginalibus nigris, ant. subacutis, dorso pallidiore, puncto venae transversae majusculo fusco.* (♀)

Chilo sordidellus Zck. alis superioribus obtusis fusco-cinereis sericeis puncto in medio unico et ante cilia utrinque 8 — 9 serie positis atris. Zck. Mag. IV, 247.

Valde affinis *Gigantello*, differt alis ant. paulo minus acutis, signis praeter punctum discoidale et punctula marginalia minuta nullis, al. post. livide cinereis, nusquam albidis, punctulis marginalibus tantum adversus apicem exstantibus, signis disci nullis. Major *Gigantello*. Corpus griseo-lividum. Antennae ejusdem coloris breviter, sed distincte ciliatae. Palpi labiales thoracis et capitis longitudine, satis tenues, compressi, lividi, apice fusco. Pedes e livido albidi, postici longissimi. Abdomen valde elongatum, thorace dilutius, apice acuminato. Alae ant. 9''' longae, ut in *Gigantello* formatae, sed apice paulo minus acuto, lutescenti s. livido griseae, dorso late dilutiore, dimidio costali reliquis partibus paulo obscuriore. Punctum majusculum fuscum in vena transversa ad medianae finem. In margine ipso punctula atra 8 aequis intervallis disposita, cilia alis paulo dilutiora. Alae post. dilutiores quam anteriores, adversus basim pallidiores. Punctula 6—7 atra marginalia ut in alis ant. disposita, sed tantum adversus angulum apicalem. — Subtus alae ant. in disco late cinereo-fuscescunt, costa usque ad venam subcostalem pallide luteola s. livida. Etiam margo pallescit. Alae post. pallidae, circa apicem late fuscescentes. Punctula marginalia majora quam supra, praecipue ea, quae in alis post. ab apice magis distant. — Patria Savanna in Georgia Americana. (Specimen unum ex mus. Zinck. vidi).

Adnot. Species haec fortasse aeque variabilis atque *Gigantellus*, sed quamvis unum modo specimen adsit bene conservatum, notae allatae probae videntur.

5) GIGANTELLUS S. V. ♂ *alis ant. lutescenti-griseis fuscescenti conspersis, litura ex costa ante apicem fusca; post. serie macularum fuscarum transversa postica.* — ♀ *alis longioribus, ant. lutescentibus, litura ex costa ante apicem fusca; post. niveis unicoloribus.*

Tinea gigantella Wien. Vzchn. p. 135. — H. fig. 35. — Chilo gigantellus Tr. IX, 1. 62. X, 3. 157. — Zinck. Germ. Magazin 2, 38. — Fischer v. Rösl. Beiträge p. 25. tab. 16. — Herrich-Schäffer Pyr. p. 51. — Stainton Manual 2, p. 185. — Topeutis gigantalis Hübn. Cat. 366. — Var. b) ♂ alis post. cinereo obductis. — Var. c) ♀ alis ant. unicoloribus fuscis. (Fischer fig. 6.)

Femina semper fere reliquis nostratibus major, in alis anterioribus, nisi totae obscuratae sunt, litura ex costa ante apicem descendente insignitur; mas in alis post. striga ante marginem posticum punctis majusculis fuscis composita discernitur. — Habitat in Europa inter maris Baltici litora et alpes, nec in Anglia australi deest.

6) FORFICELLUS Thunberg. ♂ *alis ant. stramineis antice fuscescenti impuris, puncto disci post medium nigro, litura ex apice descendenti subarcuata fusca; post. albidis in margine fusco-punctatis.* — ♀ *alis ant. angustioribus apice producto stramineis luteisve, litura ex apice fusca.*

Tin. forficella Thunberg Dissert. III, p. 98. tab. 4. fig. 4. — Chilo forficellus Germ. Mag. 2, 39. 4, 257. — Tr. IX, 1. 65. — Fischer v. Rösl. Beitr. p. 27. tab. 17. fig. 1. b-d. — Herrich-Sch. Pyr. 51. — Stainton Manual 2, 185. — Tinea lanceolella H. fig. 296. — Var. b) vitta antica fusca latiore. ♂, Tinea forficella H. f. 220. Topeutis mucronalis H. Cat. 366. ♀, Fischer v. Rösl. fig. 1. a.

A *Gigantello* semper eo differt, quod in alis ant. lituram fuscam ex ipso apice demissam habet. *Minutellum* et *Longirostrellum* magnitudine vincit. Latius habitat in Europa quam *Gigantellus*, quum et ultra mare Balticum in Succiam usque et juxta litora per Livoniam propagatus sit.

Adnot. *Tinea arbustella* Fabr. E. S. 3, 2. 293. fortasse ad nostrum referenda; impedit color thoracis et abdominis.

† 7) **ACUTELLUS Eversmann.** *„Palp. longitudine capitis cum thorace, alae ant. externe latae, ad basin „angustatae, angulo antico acuto, e fusco lutescentes, ciliis costaque tenui albis, post. semicirculares levissime e lutescenti „albae. — Minor quam Gigantellus, sed alis multo latioribus et forma omnino diversa. Alarum ant. angulus anticus „acutissimus, sed non acuminatus. Hab. in provinciae Orenburgensis campis."*

Chilo acutellus Ev. Faun. Volg. p. 540.

Cum specimina ita appellata non viderim, peccati convincere nequeo Eversmannum; sed *Nasc. cilialem* pro *Schoenobiorum* specie ab eo esse habitam valde suspicor.

8) **MONTIVAGELLUS Kaden in lit.** ♂, *alis ant. stramineis, antice fuscescenti impuris, punctulis postice hic illic sparsis nigris, striga ante ipsum apicem oblique descendenti brunnea, in costa et ante marginem dorsalem obscurata; post. niveis, subtus in margine fusco-punctatis.*

Specimen unicum male habitum comparo. Similis haec species est *Forficello* et *Orthogrammello*, sed priore minor, alis ant. paulo latioribus, striga non ex ipso apice emissa et utrimque dilatata et obscurata. A *Minutello*, quem vincit statura, praeter alias res alarum posteriorum colore niveo distinguitur. — Palpi labiales thorace multo longiores, exterius brunnei, sed superne et in basi infra nivei; maxillares nivei, basi brunnea. Antennae tenuiter ciliatae in dorso albidae. Patagia brunnea alboque mixta. Pedes postici albidi. — Alae ant. 5¼''' longae, paulo minus quam in *Forficello* elongatae, stramineae, antice praecipue ad basim brunneo sordidae, squamulis paucis (quae fortasse in speciminibus integris frequentiores sunt) nigris postice rarissime dispersis. Ad venulae transversae basim non est punctum fuscum, nec id detritum videtur. Striga fuscescenti-brunnea e costa prope apicem descendit cursuque paululum arcuato marginem dorsalem post medium petit; initium ejus in costa in maculam obscuriorem est dilatatum, et paulo ante dorsum iterum et ambitu augetur et colore fit obscuriore; margo ejus quasi posticus colore primario puriore efficitur. Puncta marginis alarum postici fusca 6—7, cilia ochracea. — Alae post. niveae unicolores, nec puncta marginalia discernuntur. Subtus alae omnes albae nitidulae, margine antico brunnescenti-impuro, macula anteriorum costali ante apicem obscuriore. Puncta marginalia fusca distincta, etiam in alis posterioribus. — Patria: Venezuela (Kaden).

9) **LONGIROSTRELLUS Clem.** ♂ *alis ant. pallide ochraceis, antice fuscescenti impuris, puncto disci post medium nigro, litura ex apice descendenti rectissima fusca; post. margine fusco-punctato.*

Chilo — Clemens, Contributions V, p. 205.

Simillimus *forficello*, nec distinguitur nisi corpore minore et litura al. ant. rectissima, non subarcuata. Hac liturae natura etiam a *montivagello* et *minutello* facile discernitur. — Palpi labiales paulo longiores quam in *Forficello* videntur, lutescenti-grisei, subtus basim versus albi. Palpi maxillares, supera capitis pars et thorax obscure grisea. Pedes grisei, antici multo obscuriores, quam medii, postici exalbidi. — Alae ant. 5''' longae, ut in *Forficello* formatae, stramineae costam versus fuscescenti suffusae, postice non venosae, puncto ad venulae transversae basim nigro. Litura fuscescens ex ipso apice oblique demissa est, et colore paulatim pallescente via rectissima spatio minore a puncto disci quam in *Forficello* intermisso marginem dorsalem petit, sed ante eum extinguitur. Color alae primarius purior marginem posticum liturae hujus efficit. Punctula 7—8 distincta nigra in ciliorum origine. — Alae post. sericeae exalbidae, in margine postico adversus apicem punctulis fuscis notatae. Liturae, quae ante eum ex costa oritur, vestigium interdum cernitur, ejusque origo ab apice remotior est quam in *Forficello*. — Subtus alae nitidae, pallidiores quam supra, anteriores in medio fuscescenti obscuratae. Liturarum et in anterioribus et in posterioribus vestigia conspicua. — Patria: América septentrionalis.

10) **MINUTELLUS.** ♂ *alis ant. stramineis, antice fuscescenti impuris, puncto disci post medium nigro, litura ex apice descendenti fusca; posterioribus exalbidis, punctis marginalibus nullis.*

Semper *Forficello* minor, alis ant. paulo longioribus, non pallidius venosis, post. magis lividis nec punctis marginalibus fuscis nec litura fuscescenti, quae in illo ex costa ante apicem plerumque demittitur, instructis. Ab *Orthogrammo* punctorum marginalium in alis post. defectu, alarum anteriorum colore magis livido, litura apicali et minus producta et minus recta differt. — Totus color lividus, in thorace obscurior, in abdomine magis minusve conspicuus, quum squamae albidae facile detergeantur. Palpi labiales thorace multo longiores, acuminati et valde attenuati, exterius fuscescentes, basim versus obscuriores. Antennae distincte ciliatae ut in *Forficello*. Pedes antici in latere adverso infuscati, tarsi medii sub apicem obscurius fuscescentes, pedes postici exalbidi. — Alae ant. 4¼—4½''' longae, subelongatae, margine postico leviter convexo, stramineae s. osseae, squamulis fuscescentibus magis minusve obscuratae, praecipue adversus costam et juxta marginem posticum. Punctum nigrum ad venulae trans-

versae basim. Litura fuscescens in venis paululum obscurata, postice spatio coloris primarii puriore marginata, non ut in *Forficello*, ex ipso alae apice, sed paulo ante eum demittitur nec lineam rectissimam efficit; cursus ejus, qui est ut in *Forficello*, aut in puncti nigri regione finitur aut magis adversus dorsum producitur. Cilia in basi pallidiore punctulis 7—8 nigris notata sunt. — Alae post. nitidulae, magis lividae quam in *Forficello*, unicolores. Diligentissime inspiciendo in paucis speciminibus punctulum obsoletum fuscum discernitur in apice alae ipso ad ciliorum basim. — Subtus alae ant. infumatae, costa vittae instar lutescente, margine postico latissime livido. Puncta marginalia subobsoleta. — Posteriores lividae, adversus apicem grisescentes. — Habitat circa Calcuttam et in Java insula.

11) MUCRONELLUS S. V. *Alis ant. fuscescenti-luteis, vitta costali straminea late fusco marginata. ♀ al. ant. angustioribus apice producto.*

Tinea mucronella Wien. Vzchn. 136. — Fabr. E. S. 3, 2. 298. — Chilo mucronellus Germ. Mag. 4, 257. — Tr. IX, 1. 67. — Fischer v. Rösl. Beitr. 29. tab. 17. fig. 2. — Herrich-Sch. Pyr. p. 50. — Stainton Man. 2. p. 135. — Tinea acuminella H. fig. 284. — Topeutis acuminalis H. Cat. 366. — Chilo acuminellus Germ. Mag. 2, 42. — Crambus mucronatus Fabr. Suppl. 473.

Femina *Mucronelli* interdum *Forficelli* feminae simillima est, sed vitta costalis *Mucronelli* semper interius diluta et fusco argute marginata. — Hab. in Europae mediae paludibus rarior.

12) SICARIUS Kaden in lit. *Magnus, alis ant. longe acuminatis, stramineis, striga fusca obliqua ex apice, posterioribus albis sericeis, striga punctorum fuscorum imperfecta post medium.* (♂ — —).

Specimen unicum, quod descripsi, a ceteris *Schoenobiis* ea re mire differt, quod abdominis apex eadem prorsus forma est, qua *Chilones* utuntur. Quum vero non modo habitu toto, sed etiam palpis non admodum elongatis, alarum post. margine ante apicem vix sinuato, pectinis defectu cum *Schoenobiis* congruat, hanc speciem inter eos excipere non dubitavi. — Major *Gigantelli* ♀, colore ac pictura *Sch. Forficello* similis. — Palpi labiales thoracis tantum longitudine, pilis laxius incumbentibus, articulo terminali brevi, deflexo, exterius brunneo-lutei, sub apicem obscuriores, articulo basali exalbido; maxillares lutescentes. Thorax stramineus, patagiis vix obscuratis. Abdomen exalbidum, in segmentorum primorum dorso lutescens, segmento anali conico, truncato, oviductu obtuso, vix exserto. Alae ant. 12''' longae, latiusculae, costa mediocriter convexa, margine postico fere recto perobliquo, in longum apicem productae stramineae, squamis paucis obsolete fuscescentibus (quae in speciminibus integris crebriores fortasse sunt) conspersae. In plicae triente primo exeunte punctum fuscum distinctius, in venula transversa nullum. Ex apice tam oblique, ut non procul a venula transversa praetereat, striga latiuscula fuscescens demissa est et cursu fere recto marginis dorsalis medium petit; haec striga lineolis venarum obscurioribus distincta est. Puncta marginis postici parva, fusca, distincta. — Alae posteriores latiusculae, subacutae, margine ante apicem vix impresso, sericeo-albae. In medio fere spatio inter venulam transversam et marginem posticum singulae venae lineolis singulis fuscescentibus notatae sunt, quibus striga efficitur a costa exiens et longe ante angulum analem evanescens. Punctorum in margine postico vix vestigia adsunt. — Alae subtus nitidulae albidae, strigarum in utrisque vestigiis punctisque marginalibus conspicuis. — Patria: Venezuela (Kaden). Specimen unicum descripsi non bene conservatum.

CHILO Zincken.

Frons ♂ angustior quam ♀. Ocelli duo pone oculos. — Palpi labiales longi compressi porrecti attenuati; maxillares triangulares, incumbentes. — Haustellum breve convolutum. — Antennae setaceae, pubescentes, ♀ paulo breviores quam ♂, tenues — Alae ant. apice distincto, posteriores angulum anteriorum analem superantes, pectine basali instructae, margine postico ante apicem leviter sinuato. — Pedes longi vel mediocres. — Anus ♂ subbarbatus, ♀ compresso-conicus pilis apicalibus oblique truncatis.

Genus hoc differt a *Schoenobio* pectine alis post. imposito, margine postico ante apicem profundius sinuato, pedibus brevioribus, ♀ ano imberbi et antennis longioribus; a generibus, quae sequuntur, aut palpis longioribus, aut alarum post. apice angulum anteriorum internum superante facile separatur.

Adnot. *Schoen. sicarius*, nisi singulari modo barba analis detersa est, hac in re cum *Chilone* congruit, in ceteris notis diversa. — *Ch. cicatricellus* pedibus paulo brevioribus et oviductu compresso ensiformi exserto a ceteris recedit.

1) **TORPIDELLUS.** *Alis ant. apice rectangulo nitidulis, fusco-griseis, costa ipsa angustissime albida, puncto disci nigro; posterioribus albis* ♀.

Chilo torpidellus Z. Micropt. Caffr. p. 69.

Minor *Cicatricello* ♂, ea re insignis, quod quum sexus feminini sit, alarum anteriorum apicem minime productum habet. — Patria Africa australis.

2) **UNICOLORELLUS Koll. in lit.** *Alis ant. apice rectangulo nitidulis, lutescenti-griseis, costa post medium dilutiore, puncto disci nigro; posterioribus albis* ♀.

Simillimus *Torpidello.* Alae ant. $5\frac{1}{3}'''$ longae, ut in illo formatae et coloratae omnino. Quae fortasse distinguunt, haec sunt: Alarum color lutescenti-griseus, sericeo nitidulus, juxta costam circa tertiam longitudinis partem pallidior quam in reliquo spatio. Puncta marginalia subobsoleta nigra terminant sulcos angustissimos pallidos, qui venas referunt depressas et obsolete coloratas. Intervalla sulcorum non lituris obscurioribus notata sunt. Ante punctum disci nigrum macula parva, rotundata, fuscescens, obsoleta plicae superius adhaeret, cujus tamen in altera ala vix vestigium discernitur. Alae post. albae, nitidulae, linea marginali minus obscura quam in *Torpidello.* Subtus alae ant. pallidae, e livido griseae, ciliis paulo obscurioribus. Posteriores albae ut supra, costa tantum sordidiore. Caput cum palpis maxillaribus (labiales desunt) et thorax subochraceo-grisea. Abdomen pallidius est, postice albescit. Pedes albido-lividi. — Patria in Himalajae montibus (Kollar). Specimen unicum mus. Vindob. examinavi.

3) **ILLIBALIS Hübn.** *Alis ant. acutis, luteo-fuscescentibus, antice obscurioribus, macula disci post medium fuscescenti obsoleta, striga postica punctis majusculis fuscescentibus albo notatis composita; post. sordide albidis, exterius late fuscescentibus* (♀).

Hapalia illibalis Hübn. Exot. p. 19. fig. 95. 96.

Specimen, quod examino, non integrum est, sed vetustate nonnihil corruptum. Caput et thorax luteo-fusca, abdomen dilutius, pedes lividi. Palpi labiales vix duplicem oculi diametrum longi, satis tenues, subaequales. — Alae ant. $8\frac{1}{3}'''$ longae, elongatae, sensim dilatatae, acutae, margine postico vix convexiusculo, luteo-fuscescentes, juxta costam late obscuriores, margine postico leviter infuscato. Ante medium liturae duae obscurae obsoletissimae. Basis ramorum venae medianae in maculam elongatam, quae cum fuscedine costali cohaeret, obscuratur et in origine rami primi punctum album videtur continere. Propius ad hanc quam ad marginem posticum puncta fuscescentia, majuscula, obsoleta, singula squamis albis notata seriem transversam formant. Cilia alis dilutiora in basi punctis albidis, distantibus, obsoletis ornantur. — Alae post. sordide albidae, postice praecipue adversus angulum apicalem fuscescunt, ciliis fuscescenti-canis. — Subtus alae ant. fumatae, costa non pallida, margine postico peranguste lutescente. Posteriores magis sordidae quam supra. — Patria: Georgia Americana (Hübn.)

Adnot. In figura, quae secundum id specimen ipsum, quod descripsi, facta est, alae ant. justo breviores sunt nec basim versus satis coarctatae. Color nimis laetus nec ante marginem posticum satis obscurus. In alis posterioribus lunulam mediam frustra in animali quaeris. Subtus in anterioribus costa contra naturam pallida est et margo posticus late lutescit, qui color tantum splendore quodam efficitur nec primarius est.

4) **CULMICOLELLUS.** *Alis ant. acutis pallide fuscescenti-ochraceis, venis paulo obscurioribus, punctulo disci post medium punctulisque marginis postici fuscis, ciliis postice albis; post. niveis subpellucidis violaceo-micantibus* ♀.

Hic fortasse ab *Obliteratello* et *Neuricello* non recte distinguitur. In alis ant. strigâ lineolis fuscis compositâ duplici, quam *Obliteratellus* habet, prorsus caret, et punctum in disco tam obsoletum est, ut diligentissime quaerendum sit. *Neuricellus* et ipse unicolor quidem est, sed venas in alis ant. incrassatas et obscuratas et in disco punctum fuscum distinctissimum habet. — Color ubique in corpore pallide rufescenti-ochraceus. Pedum anticorum latus adversum in tibiis tarsisque cinerascit, et tarsi medii in apice exterius sordidi sunt. Abdomen exalbidum est, in dorso lutescens. Palpi thorace longiores, attenuati, sub apicem griseoli. — Alae ant. $8'''$ longae, latiusculae, postice leviter ampliatae, acutae, margine postico fere recto, ad angulum internum leviter arcuato. Color pallidus, ex rufescenti ochraceus. Venae paulo distinctiores, in quorum intervallis lineae exstant tenues minusque distinctae. In media venula transversa punctulum adest nigrum, quod facillime negligitur. Puncta marginis postici fusca parva et obsoleta. Ciliorum dimidium terminale albidum. — Posteriores niveae, violaceo micantes, subpellucidae, venis exalbidis. — Subtus alae ad costam pallidissime ochraceae, anteriores albidae, linea marginali ochracea punctorum vix vestigia continente; posteriores ut supra. — Patria: Columbia (mus. Berol.)

Adnot. Aut hunc aut sequentem ad Fabricii *Pyral. saccharalem* (E. S. 3, 2. 238.) pertinere suspicatus sum, sed nec alas ant. cinereas, nec corpus parvum, qualia Fabricius vidit, nostri habent.

5) **NEURICELLUS (Kaden in lit.)** *Alis ant. acutis, pallide rufescenti-ochraceis, venis distinctis, puncto disci post medium fusco, ciliis exalbidis; post. niveis, subpellucidis, violaceo-micantibus* ♀.

Tam similis *Culmicolello*, ut indicandum modo videatur, quibus rebus inter se differant. — Omnes corporis partes obscuriores sunt, fuscedine quadam obducta. Alae, quae paulo latiores sunt, basim versus pulvere griseo tectae sunt. Venae nonnihil incrassatae sunt et fuscescenti obscuratae, ideoque valde conspicuae. Quae inter eas jacent lineae, eae tenues sunt magisque distinctae ante alae medium et ad costam. In venula transversa media punctum positum est fuscum, magnum, intus obscuratum. Puncta marginalia fusca obsoletissima. Cilia exalbida. — Subtus alae ant. in disco griseae, juxta costam lividae, puncto disci nullo. — Patria: Venezuela. (Kaden).

6) **OBLITERATELLUS (Kollar in lit.)** *Alis ant. acutis, pallide rufescenti-ochraceis, puncto disci post medium nigro, strigis duabus posticis obliquis lineolarum fuscescentium; post. niveis, subpellucidis, subtus in margine fusco punctatis* ♀.

Hunc strigae duae obliquae in alis ant. facile a *Culmicolello* et *Neuricello* separant. — Paulo minor *Culmicolello*. Color palporum maxillarium (labiales desunt), pedum et thoracis ut in illo. Capitis supera pars albido squamata, sed squamarum hic pars certo detrita. — Alae ant. paulo angustiores, sed eodem colore primario tinctae venis lineisque interjectis obscurioribus subobsoletis. Punctum nigrum perdistinctum in venula transversa supra basim. Ex alae apice nebula fuscescens oritur origine tenui, sed mox dilatata in duas strigas perobliquas dissolvitur, quarum prior pari spatio inter punctum nigrum et strigam alteram decurrit et longe ante marginis dorsalis medium evanescit, posterior viam illi fere parallelam sequitur. Utraque lineolis in venis fuscis constat, quae nebula fuscescenti junctae sunt. Puncta marginis postici parva, sed valde insignia nigra. Ciliorum color ochraceus. — Alae post. formatae et coloratae ut in *Culmicolello*, sed nitorem illum violaceum desidero. Subtus ant. griseae, circa margines albidae, puncto disci minus distincto quam supra. Posteriores in margine adversus apicem obsolete punctatae. — Patria: Brasilia (Kollar).

7) **PHRAGMITELLUS Hübn.** ♂ *alis ant. oblongis acutis, fuscescenti-luteis vel fuscescentibus, puncto disci post medium nigro; posterioribus exalbidis, margine fuscescenti-punctato.* — ♀ *alis ant. angustatis, longe acuminatis ochraceis, puncto disci post medium fusco; posterioribus albis unicoloribus.*

Tinea phragmitella Hübn. fig. 297, 298. — Chilo phragmitellus Germ. Mag. 2, 36. Tr. IX, 1. 63. — F. v. Rösl. Beitr. p. 29. tab. 18. fig. 1. — Freyer N. B. VI, tab. 492. — Topeutis phragmitalis H. cat. 366.

Habitat in Europae mediae arundinetis, valde absconditus et interdiu vix evolans. — Fortasse Werneburg recte vidit, quum hunc eundem esse atque Thunbergii Tin. *angulellam* censeret (Ent. Ztg. 1859, p. 63.); sed marginem al. ant. costalem in basi hujus speciei quis fuscum dixerit!

8) **CICATRICELLUS Hübn.** ♂, *alis ant. latis apice rectangulo fusco-griseis, vitta costali straminea, macula disci post medium ocellari, striga postica fusca; post. albidis vel cinerascentibus.* — ♀ *alis ant. acutis, brunneis, vitta costali straminea distinctissima, puncto post disci medium fusco; posterioribus albido-sericeis; oviductu ensiformi prominente.*

Chilo cicatricellus Tr. X, 3. 161. — F. v. Rösl. Beitr. p. 31. tab. 18. fig. 2. a, b, d, e. — Herrich-Schäff. Pyral. p. 51. — Stainton Manual p. 186. — Chilo strigellus Tr. IX, 2. 267. — Tin. Treitschkeella Freyer N. B. 2. p. 70. tab. 138. (ex parte).

Var. b) costa alis ant. concolore. Tinea cicatricella H. fig. 455 (poss.) — Chilo cicatricellus F. v. Rösl. fig. 2, c. e. — Tinea Treitschkeella Freyer l. c. (ex parte). — Acigona cicatricalis H. Cat. 342.

Habitat in Europae mediae Scirpo lacustri, excluditur Julio mense, mores *Phragmitelli* sequitur.

CALAMOTROPHA nov. gen.

Frons ♂ angustior quam ♀. Ocelli duo. — Palpi labiales compressi, attenuati, thorace paulo breviores; maxillares triangulares pilosi. — Haustellum palpis brevius convolutum. — Antennae setaceae, ♀ paulo breviores magisque tenues quam ♂. — Alae ant. apice rectangulo, margine postico convexo, posteriores angulum anteriorum internum vix attingentes, pectine basali instructae. — Pedes mediocres. — Anus ♀ compressus, non barbatus. — A Schoenobio et Chilone palporum alarumque posteriorum brevitate distinguitur, ab

Ancylolomia alis ant. ante marginem non picto, margine non sinuato, a Crambo et Catharylla haustelli brevitate victuque, qui est in stirpium medulla; ab hoc genere eam etiam venarum numero distingui HS. docet; cum Prionopteryge eam confundi margo al. ant. posticus vetat.

1) **PALUDELLA Hbn.** *Alis ant. cinereis, puncto disci post medium fusco, striga postica punctorum fuscescentium obsoleta; post. niveis.* ♂ ♀.

Tinea paludella H. fig. 452. 453. — Chilo paludellus Tr. X, 3. 164. — HS. Pyr. p. 117. — Dup. X, p. 268. t. 283 f. 2. — Stainton Manual 2. p. 185. — Chilo obtusellus Stainton Annual for 1856 p. 33 fig. 5.

Habitat in Germaniae et Angliae paludibus, Typhae folia exedens. Varietatem obscuram, quam *Stainton obtusellam* vocat, ex agro Sareptano misit Christoph.

2) **AURELIELLA F. R.** *Alis ant. nitidis (♂ pallide flavis, ♀ albis), strigis duabus aureis, posteriore superius angulata, punctis duobus marginis postici atris prope angulum dorsalem; post. ♂ macula marginis postici medii luteopilosa.* —

Chilo aureliellus F. R. Beitr. p. 281. Aurescellus tab. 89 f. 1. — Crambus aureliellus H S. Pyr. p. 56. — Dup. Cat. 318. — Reutti Beiträge z. Rhein. Naturgesch. 3tes Heft 1853 p. 143. —

Hab. in Hungariae inferioris paludibus mense Julio ineunte (F. R.); in ducatu Badensi a medio Junio ad Julium medium frequens in fossis paludosis urbis Brisaci et alibi. (Reutti.)

3) **ATKINSONI.** *Alis ant. angustis acutis, margine postico rotundato, luteo-aureis, costa purpurascente, puncto venae transversae nigro, punctulis marginalibus nigris albo notatis, post. niveis. (fem.)*

Num jure hic ponatur, dubito, cum habitus sit *Schoenobiorum*. Ex palpis nihil argumenti sumi potest, quia corrupti sunt, sed alarum posteriorum brevitas et abdomen non lanatum testantur inter *Schoenobios* ejus locum non esse. Magna est, thorace robusto, alis aureis in costa purpureis facile cognoscitur. Palpi breves esse videntur nec a thoracis colore differre, qui fuscescit. Antennae quoque breves videntur, ut in *Schoenobiis*. Pedes breves ochraceo grisei, mediorum tarsi albido maculati. Abdomen longum, apice attenuato et compresso, ut in *Chilonibus*. Alae ant. 7''' longae, angustae, apice fere rectangulo, margine costali leviter convexo, postico rotundato, luteo-aureae, nitidae, venis hic illic albido-squamatis, costa ex basi latius obsolete purpurescente, qui color postice coarctatur nec alae apicem attingit. Punctum magnum nigrum ad coloris purpurei marginem ideoque miro adversus costam admotum. Margo posticus anguste brunnescens, puncta marginalia nigra interius in conulos elongatos albidos producta. Cilia pallidiora quam alae color primarius. — Alae post. niveae, angulum ant. analem non superantes, ceterum nonnihil elongatae, ut in *Chilonibus*. Subtus alae ant. canescentes, in disco obscuriores, costae vitta pallida, obsoleta; cilia cinerea. — Habitat in Bengalia circa Calcuttam. (Stainton).

ANCYLOLOMIA Hbn.

Frons ♂ angustior quam ♀. Ocelli distincti post antennas. — Palpi labiales mediocres vel longi porrecti; maxillares triangulares, incumbentes. Haustellum nullum. — Antennae ♂ vix longiores quam ♀, dentatae vel pectinatae, ♀ filiformes, tenues. — Alae ant. margine postico ante apicem late sinuato, lineis nitidis inter venas scriptis, strigis ante marginem posticum plerumque tribus undulatis; post. angulum anteriorum internum non superantes, pectine instructae. Pedes longiusculi. Abdomen elongatum, segmento anali ♂ fasciculato, ♀ compresso conico.

Hoc genus alarum ant. margine lato sinuato strigisque ante eum undulatis ab omnibus facile distinguitur. Quum specierum numerum certo non parvum complectatur, ut hae bene distinguantur, necesse erit strigarum illarum trium, quae margini postico antecedunt, cursum et intervalla diligentissime examinare et indicare. Neque in figuris Herrichianis hae strigae ea cum cura pictae sunt, qua pingi debebant ideoque minus adjuvabunt studiosos, quam poterant.

1) **CHRYSOGRAPHELLA Koll.** *Antennis ♀ serrulatis, palpis brevibus; alis ant. latis fusco-lutescentibus postice orichalceo-venosis, vitta media lata flavida post medium abrupta.*

† Crambus chrysographellus Koll. in Hügels Reise p. 494.

Valde insignis colore al. ant. brunnescenti, strigis ante marginem posticum in fasciam inaequalem et interruptam congestis. Caput luteo fuscoque mixtum. Palpi capite longiores, satis tenues, articulo terminali mucronato, lutescentes, apicem versus fuscescentes. Antennae brunneo-cinereae, thorace longiores, postice valde attenuatae, argute serrulatae, dentibus apicem versus evanescentibus. Thorax brunneus; patagia obscure fusca, exterius abrupte, sed anguste pallida et alba. Pedes lutescenti-cinerei, tarsi obscuriores, articulorum apicibus albidis. Abdomen elongatum, ochraceo-griseum. Alae ant. $8\frac{1}{2}'''$ longae, latae, ex fusco lutescentes, adspectu sordido et vetusto, parte dorsali obscuriore. Venae postice orichalceo nitent et intervalla singula singulas squamarum atrarum series continent. In cellula discoidali squamae atrae magis confertae. Vitta pallide ochracea satis lata ex basi prodit marginem venae medianae sequens, nec multo ultra dimidiam alam porrigitur, quum inter primos venae medianae ramos evanescat; vittae hujus margo dorsalis colore fit late fusco, qui venam subdorsalem vittae instar superat. Ante marginem posticum series punctorum atrorum satis incrassatorum, et ante eam fascia obsoleta fuscescens, quae inaequali latitudine est et infra medium late interrupta et sine dubio strigis duabus coaluisse censenda est. Cilia dilute cinerea, metallice nitidula lineam basalem cinereo-fuscam habent. Alae post. griseae, in basi dilutiores; cilia albida, linea tenuissima basali flavida. Subtus alae ant. fusco-cinereae, juxta costam et marginem posticum pallidae; ante hunc series punctorum obsoletorum fuscescentium. Post. dilutiores, praecipue adversus basim. Ciliorum color idem qui supra. — Patria circa Massuri in Himalajae montibus (Kollar.) Duas feminas musei Vindobonensis comparavi.

2) **LOCUPLETELLA Kollar.** *Antennis subserratis, palpis brevibus; alis ant. latis, pallidis, dorso late griseo, orichalceo venosis, vitta juxta costam anguste fuscam vittaque disci medii albis.*

† Chilo locupletellus Kollar in Hügel's Reise p. 494.

Corpus supra ochraceo-griseum. Palpi labiales capitis longitudine, crassi, exterius brunnescentes, subtus ad basim albi. Haustellum brevissimum. Antennae griseae, breviusculae, satis tenues, postice attenuatae, compressae, crenato-subserratae, pube tenerrima. Patagia fuscescenti-grisea, subunicolora. Pedes grisei, anticorum pars adversa obscurior. (Abdominis pars maxima deest.)

Alae ant. $8'''$ longae, latae, postice paulo latiores. Color lilaceo-griseus videtur, sed si accurate inspicis, talis marginem modo dorsalem et basim occupat, in reliquo spatio dilutissime ochraceus est, venis late orichalceis et quodam situ cinereis. Series singulae squamis atris compositae in singulis venarum intervallis. Costa ab origine angustissime, postice paulo latius fuscescit; juxta eam vitta ducta est alba, angustula, interius minus bene definita, quae ad alae apicem non pertinet. Altera vitta vix latior venae medianae marginem dorsalem sequitur et sub venula transversa desinit. Punctum in venula transversa nigrum. Margo posticus anguste flavescit; ante eum strigae undulato-repandae tres, quarum proxima grisea est; media crassior et obscurius cinerea et colore orichalceo nitida et infra medium in angulum formata est; tertia obsoleta est et luteola, post quam color primarius cinerascit. Atque spatium inter strigam margini proximam et sequentem album est et angustum et ubique fere aequale. Cilia grisea orichalceo splendent, in basi lineae instar fuscescunt. — Alae post. canae, antice latius cinereae, ante marginem posticum fasciae instar albae. Cilia alba. — Subtus alae ant. fuscescenti-cinereae, linea juxta costam et spatio ante marginem posticum albis; puncta hujus marginis nigra; striga ante ea fuscescens undulata. Alae post. albidae, ad marginem anticum late cinereae. — Patria circa Indiae urbem Bombay (Kollar). Specimen unum vidi, cujus sexum certo distinguere non potui.

3) **SAUNDERSIELLA.** *(Antennis ♂ — —), palpis brevibus, patagiis fuscis, exterius niveis; alis ant. pallidis, postice argenteo-venosis, juxta costam anguste fuscam albidis, vitta media alba inferius late nigro marginata, strigis duabus ante marginem spatio albo latiusculo distantibus, interiore infra medium acutangula.*

Differt ab Europaeis palporum brevitate et striga antemarginali al. ant. media infra medium unidentata, ab omnibus patagiorum margine externo niveo et cum vitta alarum anteriorum in basi late connexo. — Magnitudo *Tentaculellae* ♂. Caput pallide griseum, frons et palporum latus exterius obscuriora, vertex albidus. Antennae e basi pallida obscuriores, sub apicem annulis obsoletis cinctae. Palpi duplici capitis longitudine, subtus albidi. Thorax pallidus, postice albidus. Patagia nigro-fusca, interius dilutiora, exterius anguste nivea. Pedes pallide grisei, antici in latere adverso femorum et tibiarum brunnei; mediorum apex femoris et tibiae basis litura fusca notantur. Abdomen squamis exalbidis tectum est. — Alae ant. $7'''$ longae, $2\frac{1}{3}'''$ latae, elongatae, dilutissime ochraceae,

juxta costam, quae anguste fusca est et in basi maculam nigram fert, vittae instar sericeo-albidae. Vitta alba media ex basi oritur, postice in venas metallice argenteas solvitur, inferius late nigro-fusco, sed basim versus angustius marginatur. Venae posticae omnes argyreae, et intervalla seriebus singulis squamarum nigrarum ornata. Cilia exalbida nitida apicibus fuscescentibus, in basi linea fusca terminantur; ante hanc post intervallum angustum striga adest punctis fuscis congesta et prope angulum internum semel interrupta; latius deinde sequitur intervallum, sed inferius coarctatum, album, quod striga cinerea, splendenti, undulato-repanda et infra dentem exserente terminatur. Punctum venulae transversae nigrum. Margo dorsalis in basi anguste albus. — Alae post. latae, albae, obtusae, unicolores. — Subtus alae ant. albidae, fuscescenti-cinereo suffusae, costa luteo-fusca. Puncta marginis postici fusca. Alae post. albae, venis ad marginem costalem fuscescenti inductis. — Patria ignota. Feminam pulcherrimam musei Saundersiani descripsi.

4) **WESTWOODI.** *Antennis ♂ breviter pectinatis, palpis brevibus; alis ant. latis, argenteo-venosis, pallide flavidis, in disco saturatioribus; intervallo strigarum duarum antemarginalium lato albo, striga interiore infra medium acute dentata. (♀ — —)*

Differt ab omnibus vittae albae defectu et praeterea ab Europaeis palporum brevitate, spatio ante marginem lato albo, dente strigae penultimae acuto. Minor plerisque. Caput cum thorace alisque anterioribus pallide osseum. Epistomii squamae griseo mixtae. Palpi labiales duplicem capitis longitudinem paulo excedunt et sicut palpi maxillares exterius grisescunt, superne pallido sunt colore. Antennae ♂ pallide griseae, pectinatae, dentibus breviusculis et tam acutis, ut intervallis angustissimis distent. Pedes pallidi. Abdomen in dorsi basi albidum, ceteroquin squamis albidis tectum. Alae ant. vix 5''' longae, 2''' latae, pallidissime osseae, in disco laetiores, qui color saturatior, si oblique adspicitur, maculae lutescentis discoidalis speciem efficit. Venae cinereo-argenteae, intervalla lineas singulas squamis atris compositas continent, quae tamen, quemadmodum color venarum argenteus, non usque ad strigas antemarginales extenduntur. Strigae tres: intima undulato-repanda, luteola, satis tenuis, a media spatio angusto pallido distat; media crassior, repanda, cinerea, nitida, infra medium in dentem producta, ab extrema spatio latiore albo disjuncta; extrema, quam spatium angustum pallidum a margine distinet, cinerea, undulata, interius denticulata neutrum marginem attingit et ibi, ubi dens strigae mediae prominet, interrupta est. Cilia nitidissima, cana, in basi lineae instar cinereo micant et duobus locis (qui sunt ad angulum anticum et infra medium, roseo quodam colore tinguntur. Alae post. utrimque albidae, marginem costalem versus cinerea. Subtus alae ant. ex fuscescenti cinerascunt, costa vittae instar pallet. Margo posticus late albet; puncta fusca ante lineam marginalem fuscescentem; ciliorum apices fuscescentes. — Patria: Terra Vandiemenii. (Westwood.)

5) **CAPENSIS.** *Antennis ♂ compressis (inermibus?), palpis brevibus, alis ant. longiusculis, glauco-canis, metallice venosis, intervallis venarum flavidis lineas atro squamatas continentibus, intervallo strigarum antemarginalium angustulo, striga interiore infra medium acute dentata. (♀ — —).*

Affinis *A. Westwoodi*, differt alis ant. longioribus, intervallis tantum ramorum flavidis, linea antemarginali non denticulata, spatio angustiore inter eam et sequentem intermisso. — Major quam *A. Westwoodi.* Caput et thorax albida. Antennae, quae praeter articulos infimos 6 desunt, dentibus videntur carere; quae earum pars adest, valde compressa est, articulis confertis, brunneis, in dorso albo-squamatis. Palpi oculorum diametrum duplicem longi, albi, acuminati, exterius brunneo-lutei. Pedes (valde mutilati) albi, antici in latere adverso fuscescentes. Abdomen albidum. — Alae ant. 6''' longae, longiusculae, postice sensim dilatatae, glauco-canae, basim versus albidae, postice obscuriores. Rami venae subcostalis et venae medianae in extremo alarum triente cinereo-argentei, eorumque intervalla flavida sunt et singulas lineas squamis atris compositas ferunt. Cilia cinerea, nitidissima, linea basali obscure cinerea. Ante hanc strigae tres subundulatae cinereae; media obscurior est et infra medium dentem acutum exserit fere usque ad marginem posticum productum. Quae linea margini est proxima, ea levissime est undulata, punctis nigricantibus notata, infra medium late interrupta, ita ut dens lineae mediae commodum locum habeat. Intervallis albis angustis hae lineae inter se et a margine postico distant, sed quod inter mediam et intimam continetur, id prae reliquis angustum est. — Alae post. niveae, ciliis quoque niveis; subtus costa late cinerascit, sed non usque ad angulum apicalem. — Alae ant. subtus cinereae, ante marginem posticum latius niveae, strigis duabus obsoletis cinereis, exteriore punctis tantum composita. — Patria Africa australis (Herrich-Schäffer). Marem descripsi, cujus alae optime erant conservatae.

6) **CONTRITELLA Z.** *Antennis ♂ confertim dentatis, palpis longis; alis ant. elongatis ochraceis, fusco squamatis, linea integra supra plicam lituraque cuneata post venulam transversam albis, strigis antemarginalibus inter se propinquis, intimis luteis, aequaliter undulato-repandis, postrema punctis obscuris formata; post. cinerascentibus.*

Ancyl. contritella H S. Pyral. p. 70. fig. 153. VI, 145. — Crambus contritellus Z. Isis 1847 p. 751. — Crambus tentaculellus Z. Isis 1847 p. 28. —

Palpis brevibus et striga alarum ant. antemarginali media non in dentem producta, sed aequaliter repanda a speciebus praecedentibus differt. Alae longiores et in ♀ ut ♂ pictae a *Tentaculella*, antennae ♂ dentatae, non pectinatae a *Palpella* distinguunt. — Patria: Asiae provincia Lycia.

Adnot. Ad hujus feminam *Ancyl. Taprobanensis* alis coarctatis accedere videtur, sed multis rebus distinguitur. Palpi enim labiales breves sunt nec duplicem oculorum longitudinem excedunt, colore ochraceo thoraci similes; alae anteriores minus sunt elongatae et albedine omnino carent nec supra plicam vittae instar squamis fuscis obscurantur. Striga media antemarginalis multo est crassior et nitide plumbea et infra medium in dentem producta. Denique alae post. ubique obscure cinereae sunt. — Itaque haec *Anc. capensi* similior est, sed alis est angustioribus, lutescentibus; striga antemarginalis media magis est repanda nec in dentem tam longum producta, ut strigam postremam interrumpat. Atque ipsa haec striga et a margine et a striga media paulo longius abest. Color quoque alarum post. est alius. — Speciminum tamen, quae vidi, conditio tam mala fuit, ut a diagnosi scribenda abstinendum esse videretur. Patria Taprobane insula.

7) **TENTACULELLA Hübn.** *Antennis ♂ confertim dentatis, palpis longis; alis ant. minus elongatis pallide ochraceis, ♂ brunneo plumbeoque lineatis, vitta angusta costali lineaque integra supra plicam albis, litura cuneata post venulam argentea, strigis antemarginalibus intimis luteis aequaliter repandis, postrema punctis fuscis composita; post. cinereis. ♀ alis ant. pallidis subunicoloribus, vitta supra plicam fuscescenti; post. albis.*

Tinea tentaculella Hübn. fig. 230 ♂. — Chilo tentaculella Tr. IX, 1. 70. — Crambus tentaculellus Z. Isis 1847, p. 748. — Ancylolomia tentalis H. Cat. 365. — Ancylolomia tentaculella H S. Pyr. p. 70 Tin. fig. 154. 155.

Hab. in agro Latino, Sicilia (Tr.), Sardinia (Staudinger), Lusitania (Hoffmannsegg).

8) **PECTINATELLA Z.** *Antennis ♂ longe pectinatis, palpis longis; alis ant. profundius sinuatis, luteis, brunneo plumbeoque venosis, vitta costali angusta lineaque integra supra plicam niveis, strigis antemarginalibus duabus aequaliter repandis, intima lutea, media plumbea, postrema punctis fuscis composita; post. cinereis. ♀ alis ant. pallidis subunicoloribus; post. albidis, postice cinerascentibus.*

Minor est quam *Tentaculella* et *Contritella* palpisque longioribus cuneoque albo in alis ant. post venulam transversam nullo distinguitur, *Palpellam* antennis longius pectinatis vincit, sed multo superatur magnitudine corporis, nec cuneum album in alis ant. postice habet. — Patria: Italia australis.

9) **PALPELLA SV.** *Antennis ♂ pectinatis, palpis longis; alis ant. subelongatis, pulvereo brunneis, linea subcostali lineaque integra supra plicam niveis nitidulis, cuneo post punctum disci fusci niveo nitido; strigis antemarginalibus duabus interioribus undulato-repandis, intima lutea, media plumbea, extrema punctis brunneis composita; post. canescentibus (♀ al. ant. longioribus).*

Tinea palpella Wien. Vzchn. 131. — Hübn. fig. 32. — Chilo palpellus Germ. Mag. 2, 44. — Tr. IX, 2. 69. — Ancyl. palpella H S. Pyr. p. 69. Tin, fig. 132. — Ancyl. palpigeralis H. Cat. 363. —

Patria Hungaria et Russia australis.

Adnot. 1. Specimina, quae ex australi Russiae parte accepi, Hungaricis simillima quidem sunt, discrepant tamen duabus rebus. Alas enim anteriores paulo angustiores habent, praecipue feminae. Striga antemarginalis media spatio latiore minusque ante medium coarctato niveo ab extrema separatur. Sed quum hoc spatium latitudine nonnihil variet, propriam speciem ea re indicari non opinor.

Adnot. 2. *Ancyl. disparellam H.* omnino omittendam esse censeo, quum male factas esse figuras 357, 358 pateat neque quisquam specimina viderit, secundum quae factae sunt. Qui rem explorare cupiunt, Herrichii Pyr. pag. 70 et Zinckenii verba (Germar Mag. 2, p. 46) consulant.

PRIONOPTERYX Steph.

Antennae mediocres, ♂ argute biserratae, ciliatae. Ocelli nulli? — Palpi labiales mediocres, porrecti, acuti; maxillares triangulares. — Alae ant. oblongae (bistrigatae), subtruncatae, margine postico infra apicem semel plicato et in dentem prominulum descendente; posteriores pectinatae, vena mediana trifida.

Genus hoc colore et pictura *Phycidibus* quibusdam simile palpos habet a *Cramborum* palpis non diversos. Cum vero *Crambi* et quae genera praecedunt, cilia alarum ant. aequalia habeant, in *Prionopteryge* cilia marginis postici infra apicem plica quadam rumpuntur et supra hanc in denticuli deflexi speciem prominent. Ocelline adsint, certo experiri non potui, nec venarum ordinationem indagavi. Nomen generis hujus propter marginis postici formam confectum videtur; sed *Prionapteryx*, quod apud Stephensium legitur, non tolerandum.

1) NEBULIFERA Steph. *Alis ant. fusco cinnamomeoque mixtis, macula magna dorsali spatioque anguli postici toto albis, strigis duabus tenuibus albis, secunda nitida, superne acute angulata.*

Prionopteryx nebulifera Steph. Jllustr. Haust. IV. p. 317.

Magnitudine valde variat. Caput brunneo cinnamomeoque mixtum, supra os albidum. Palpi maxillares robusti, brunnei, intus albi, basi exterius nigra; labiales thoracis longitudine, porrecti, in medio incrassati, postice attenuati, brunnei, postice fusci, intus basim versus albidi. Haustellum mediocriter crassum, convolutum, basi superne albo squamata. Mentum sicut pectus album. Antennae brunneae, abdomine paulo breviores, serratae, dentibus singulorum articulorum binis, tenuibus, piloso-ciliatis, adversus apicem sensim minutis. Ocelli non videntur adesse. Pedum anticorum tibiae tarsique exterius fusca, albo-maculata; posticorum femora albida (reliquae pedum partes desunt). Abdomen in dorso lividum, in ventre albidum; barba analis exigua. Alae ant. 5—7‴ longae, oblongae, postice nonnihil dilatatae, apice fere rectangulo, margine postico subconvexo, fusco cinnamomeoque mixtae. Non longe a basi macula est dorsalis, alba, magna, transversa, ad venam subcostalem truncata, in margine dorsali dilatata; margo ejus interior squamis nigris sine ordine congestis exasperatus. Mediam alam striga alba undulata transcurrit, hic illic incrassata, inter venas medianam et subdorsalem acute angulata. Post eam tres maculae nigrae sequuntur ordine ita transverso, ut suprema minor sit reliquis, maxima strigae et margini dorsali adhaereat. Reliquum alae spatium albidum est, si costalem partem excipis runneam, et strigam alteram continet, quae margini postico propior est quam strigae mediae et cursum habet subundulatum et superius postice in angulum acutissimum frangitur; albusque hujus lineae color metallice nitet, angulus autem in colore brunneo, quo circumdatur, valde fit conspicuus. Plica, quae contra strigae angulum est, oblique per cilia descendit dentemque fuscum in medio lineam albam continentem efficit. Supra dentem cilia lineis tribus signantur, intima brunnea, media nigra, extrema fusca; infra dentem ciliorum color albidus cinereoque metallicus est, et ante marginem posticum lineolae duae atrae nebula cinerea junctae sunt. Costa inter strigas supra colorem brunneum albida. Nec procul a costa linea alba transverse dissecta strigas jungere videtur. Apex alae ipse maculam albam habet. Alae post. griseae, postice obscuriores, albido ciliatae. Subtus alae ant. fuscescunt, postice obscuriores fiunt; ciliorum pars, quae infra dentem est, fuscescit. Posteriores in disco albescunt, in marginibus late cinereae sunt. — Specimen unum, quod vidi, ex museo Stephensiano est; valde corruptum id esse ciliorum defectus fere omnium satis prolit. Alarum ant. costa Psocorum culpa erosa est, quae res, quamvis non aequaliter facta sit, tamen Stephensium fefellit, ut putaret naturae deberi, quod Psocorum voracitati debebatur. Alterum specimen et majus et alis integerrimis est; idque in museo Saundersii servatur. Tertium denique in museo Berolinensi vidi. Habitat in Americae septentrionalis partibus calidioribus. Stephensium errasse, quum in Anglia eam habitare diceret, certissimum est.

2) ACHATINA Kollar in lit. *Alis ant. griseo cinnamomeoque mixtis, macula marginis postici medii alba, striga post medium sita serrata, infra latiore, brunnea, striga postica plumbea arcuata.*

Valde distincta a *Pr. nebulifera* colore multo pallidiore, maculis dorsi angulique interni albis nullis, striga nitida arcuata, non angulata. — (Caput deest). Patagia lutea. Abdomen lividum. Pedes ex albo ochracei, non maculati. — Alae ant. $5\frac{1}{4}$‴ longae, oblongae, postice nonnihil latiores, colore griseo cinnamomeoque mixto, dorso latius squamis fuscis adsperso. Fascia ex costa post medium brunnea demittitur et varie in angulos profundos frangitur; ex origine tenui paulatim crassior est et interius anguste albido vel pallido marginata. Punctulum nigrum in angulo hujus fasciae supremo albido. Striga deinde hanc fasciam inter et marginem posticum jacet, ita

tamen, ut margini propior sit; sed color ejus plumbeus et utrimque albus et opacus, cursus arcubus duobus inaequalibus flexus. Dens marginis postici cinnamomeus, qui color ad strigam usque pertinet et lituram parvam apicalem albam includit; infra dentem macula major alba marginem posticum ac strigam distinet, quae supra et infra lineola atra finitur. Ac tertiam lineolam atram strigae superius adjacentem vides. Cilia dentis ex parte lutescunt, reliqua albida sunt, nisi quod circa apicem in medio strigam nigricantem habent. — Alae post. obscure griseae, ciliis dilutioribus. Alae ant. subtus fuscescenti-griseae, costa pallida, apice albido; post. griseae, antice obscuriores. — Patriam fortasse Americam septentrionalem esse scripsit Kollar.

3) **INCERTELLA Zincken.** *Alis ant. albo cinereoque nebulosis, striga media arcuato-dentata fusca, striga postica alba latiuscula, fusco-marginata, serrata, superne acute fracta.*

Chilo incertellus Zincken. Germ. Mag. 4, 253.

Vidi specimen, quod Zinckenius descripsit, miratusque sum, virum doctissimum specimen tam vile ac detritum et humore corruptum describere potuisse. Inter *Prionopteryges* esse referendum ipsius verba produnt, nec ad *Nebuliferam* aut *Achatinam* pertinere inde certo colligitur, quod striga al. ant. postica alba prorsus alio modo decurrit. Est enim latior et superius in acutum, inferius in breviorem angulum fracta atque serrata fuscoque marginata. Hac igitur nota videtur cognosci posse. Sed ut copiose describatur, aliis speciminibus utendum est. — Patria: Americae civitas Georgia. (Zincken.)

Nota. Plures species exstare hujus generis Museum Berolinense certissime testatur; in eo enim 3—4 alias vidi.

CRAMBUS F.

Antennae ♂ vix longiores quam ♀, setaceae (♂ varie formatae), ♀ simplices, tenues — Ocelli pone oculos. — Palpi labiales thorace longiores, attenuati, compressi; maxillares triangulares, incumbentes. Haustellum thorace longius. — Alae ant oblongae, acutae, apice non refracto, varie pictae; posteriores pectinatae, vena mediana trifida, angulum anteriorum analem non superantes. — Crambi a Prionopteryge margine al. ant. aliter formato differunt, a Calamotropha et Ancylolomia haustello longo inter palpos convoluto, a Schoenobio et Chilone alarum posteriorum apice minus producto, a Catharylla et Eromene palporum longitudine.

Hos eorum greges constituo.

A) **ARGYROTEUCHIA Hbn.** Alae infra apicem emarginatae sunt vel plicae genere quodam ita divisae, ut apex a reliqua marginis parte nonnihil exsurgat. Cilia apicalia linea tenui nigra distinctissima ab alis separantur et juxta eam ipsa colorem habent dilutiorem. Color eorum aut totus metallicus est aut saltem infra medium nitidula pars in iis servata. Margo posticus infra medium rotundatus est, ibique spatium alae adjacet et suo colore et punctis marginalibus nigris plerumque conspicuum. Striga margini postico praecedit, superius fracta vel angulata, plerumque nitida sive stannea, utrimque colore obscuro anguste marginata, in costam oblique emissa. Magnus specierum numerus vittis argenteis albisve ornatus est.

a) alarum ant. linea marginis apicalis nigra gemina, cilia infra marginis postici medium in basi tantum nitida. Striga postica etiam circa plicam fracta, strigaque altera alam in medio secat. 1—5.

b) al. ant. linea marginis apicalis simplex, exterius albido marginata. Vittarum vestigium nullum. 6. 7.

c) linea marginis apicalis ut in b; cilia metallica; margo posticus infra medium nigro punctatus. Striga postica stannea superius fracta. Vitta alae mediae argentea vel alba.

α) Vitta integerrima, intervallum ejus et costae colore alae primario expletum. 8—24.

β) Vitta per longitudinem fissa, aut linea alba sive vitta angustior inter vittam mediam et costam interjecta. 25—36.

B) Alae ant. non emarginatae, obtusae, plerumque venosae, metallice ciliatae, vitta media nulla; striga postica, si qua adest, leviter arcuata.

a) **CHRYSOTEUCHIA Hübn.** Alae ant. venosae, ante marginem flavidae nigroque punctatae. 37—42.

b) **THYSANOTIA Hübn.** Alae ant. venosae, strigis binis praeditae, ante marginem vix punctatae. 43—45.

c) Alae ant. non venosae, strigis binis praeditae, priore in dorso incrassata. 46. 47.

C) Alae ant. non emarginatae, non obtusae, apice saepe acuminato, ciliis raro metallicis, varie pictae.

a) Cilia lineolis punctisve albidis tessulata.

α) Strigae binae obscurae, prior lata diffusa, posterior serrata et exterius albido marginata; intervalla earum et basecs dilutiora vel albida. 48—50.

β) Vitta alba media plerisque; omnibus macula alba fusco marginata ante strigam posticam 51—54.

b) **CATOPTRIA Hübn.** Cilia aut albo lineolata aut unicolora. Vitta media alba vel nivea, saepe in duas tresve partes dissecta. 55—78.

c) Cilia albo tessulata; venae mediae tenues albidae; strigae binae fuscescentes opposite albido marginatae. 79—89.

d) Cilia unicolora (interdum metallica). Vena mediana saepe diluta vel adeo argentea, pulvere obscuro marginata. Strigae saepe binae opposite albo marginatae.

α) Cilia non metallica, vena mediana albida, vittae instar dilatata, postice fissa; striga postica exterius albo marginata eam terminat. 90—95.

β) Cilia metallica, margo posticus flavus nigro punctatus. Venae fusco pulverulentae, vestigio strigae posticae vix ullo; palpi elongati. 96—100.

γ) Cilia rarissime metallica; vena media plerumque diluta, inferius obscure marginata; strigae binae, prior in medio, posterior circa plicam obscurata. 101—113.

δ) Cilia vix nitidula plerisque, alae opacae; strigae posticae si quod vestigium adest, prope marginem dorsalem discernitur. Quaedam species venam medianam albidam vel argenteam postice fissam habent 114—137.

ε) Cilia non metallica; alae ant. nitidae unicolores vel juxta venas colore obscuro suffusae, strigae nullae. 128—132.

A, a. **1) ALPINELLUS Hübn.** *Alis ant. cinereo fuscis, vitta media alba ante medium ramum in dorsum emittente, post medium oblique dissecta, ultra strigam posticam ter fractam perducta.*

Tinea alpinella H. 338 ♀. Argyroteuchia alpinalis H. Cat. 364. Chilo alpinellus Tr. 9, 1. 72. Crambus alpinellus Dup. pl. 203, 3. — HS. p. 55.

Hab. in Germaniae, Hungariae arenosis herbidis, praecipue pinetorum, mensibus Julio et Augusto hic illic frequens; in alpibus nunquam inventus est.

2) CARECTELLUS Z. *Parvus, palpis griseis ante apicem niveum fusco-cinctis; al. ant. subcaudato-acuminatis pallidis, grisescenti-lineatis, striga bifracta media strigaque semel fracta postica cinnamomeis, ad costam fuscis, linea marginali apicis geminata atra; ciliis ad marginem medium metallicis; post. cinereis.*

Crambus carectellus Z. Isis 1847, 751. — H S. p. 55. fig. 122, 123.

Habitat in Sicilia ad Syracusas et Messanam Junio mense exeunte Juliique initio.

3) PALLIDELLUS Dup. *Major, palpis albis, exterius griseis; alis ant. acutis, pallidis, grisescenti-lineatis, striga media strigaque prope marginem posticum fractis cinnamomeis, adversus costam albido-marginatis, linea marginali apicis gemina atra; ciliis ad marginem medium metallicis; post. albis.*

Cr. — Dup. X. p. 64. t. 270 fig. 6 ♂ — Cr. Catalauniellus HS. VI, p. 144. fig. 163.

Multo major quam *Carectellus*, alis ant. non caudatis, post. albis facillime ab eo discernitur. Femina mare, quem Dup. pinxit, multo major Herrichii quoque figuram superat, quamquam secundum ipsum hoc specimen, quod ante oculos habeo, facta est. Miror, quod in Duponchelii figura haec species non est agnita, licet alae justo breviores, strigae nimis distinctae videantur. — Habitat ad Barcelonam in paludibus, mense Julio, et in Sicilia ad Panormum (Led.); ad montem Pessulanum (Dup.).

4) CANDIELLUS HS. *Medius (♀ major), alis ant. subcaudato-acuminatis, aureo-brunneis, vitta angusta media ad marginem posticum perducta, postice in ramos soluta, costa dorsoque latius niveis, strigis duabus posticis fractis cinnamomeis, ad costam albo marginatis, linea apicis marginali geminata atra; post. ♂ canis, ♀ albis.*

Crambus — HS. p. 56. fig. 181. (♀).

Habitat in Creta (Wocke) et Lusitania (Mus. Berol.), ad Prusam (Led.) Mas, quem ex museo Wockeano habeo, femina multo minor est, alis ant. paulo ultra 5''' longis.

5) CERUSSELLUS SV. *Parvus, alis ant. rectangulis (♂ fu cis, ♀ albis cinereo pulverulentis), strigis duabus (luteo-marginatis, ♀ albis, cinereo-marginatis), posteriore trifracta, ciliis metallicis.*

Tinea cerussella (♂) Wien. Vzchn. 135. no. 22. Tinea quadrella (♀) Wien. Vzchn. 135. no. 23. Tinea auriferella H. 62 ♂. Tinea barbella H. 61. ♀. Chilo auriferellus Zinck. Germ. Mag. 2, 66. Chilo cerussellus Tr. 9, 1. 88. Crambus cerussellus HS. p. 56. Crambus quadrellus Dup. X. t. 284. f. 7 a ♂ b ♀. Thisanotia auriferalis H. Cat. 367. ♂ ♀.

Hab. in Europae mediae siccis herbidis frequentissimus Junio, Julio. — Hunc in peculiari genere, quod Platytes audit, Gueneus (Cat. p. 86) posuit. Pari jure reliqui Crambi in triginta fere genera dispergi poterant.

A) b. **6) KADENII.** *Palpis niveis, ante apicem cinereo-maculatis, alis ant. latis albis, cinereo-nebulosis, ad dorsum medium latissime ferrugineo tinctis, striga geminata tenui flexuosa cinerea ante marginem, apice maculaque marginali infra medium aurantiacis; post. canis, nebula obscura ante marginem posticum.* ♀.

Magnus eaque re insignis, quod cum certissime hujus gregis sit, prorsus nihil vittae simile habet. Caput niveum; palpi maxillares nivei, basi lutea; labiales thoracis longitudine, attenuati, nivei, in latere externo articuli secundi maculis duabus lutescentibus, tertii macula media cinerea. Antennae setaceae brunneae, in dorso albidae. Thorax albus (in medio fortasse cinereus). Pedes albi, tarsi postici pallidi. Abdomen griseum. Alae ant. 6—7½''' longae, latae, postice subdilatatae, costa convexula, margine postico infra apicem acutum nec admodum prominulum leviter impresso, inferius subrotundato, albae, cinereo nebulosae, costa et basi alba, spatio dorsali latissime colore dilute ferrugineo inducto. Nebulosam hanc partem post alae medium color excipit albus, superiusque nubeculam obliquam cineream complectitur. Deinde striga geminata sequitur cinerea et ita flexuosa, ut, quum per se jam margini postico satis propinqua sit, eum supra medium fere contingat; strigae hujus pars summa simplex est et puncto costali ferrugineo finitur. Talia puncta praeterea in costa, alterum ante medium, alterum post medium, posita sunt. Apex alae late aurantiacus a striga distinctur spatio angusto albo et striolam ex costa demissam inferiusque hamatam continet. Et macula ferruginea inter strigam et marginem posticum intermissa punctisque 3 nigris minutis distincta est ante angulum dorsalem. Cilia metallica, in basi albida, exterius cinerea a colore apicis ferrugineo linea atra separantur. Alae post. dilute cinereae s. canae, nebula cinerea ante marginem posticum ex costa descendente et ante angulum analem evanescente. — Subtus al. ant. cinereae, in parte dorsali albidae, striga antemarginali distincta, sed simplici, apice ferrugineo, costa ante eum lutea; alae post. canae, juxta costam cinereae, striga ex costa ante marginem cinerea mox desinente. — Habitat in Americae australis civitate Venezuela. (Duae fem. mus. Kaden.)

7) PUSIONELLUS Kaden in lit. *Parvus, alis ant. longiusculis, subacutis, albis, macula dorsi medii fusca in strigam fractam producta, striga postica geminata brunnea in plica levius, supra medium valde fracta, linea marginali nigra infra medium punctis tribus nigris signata; post. albidis subpellucidis (mas).*

Minutus, detritis *Terminelli* speciminibus non plane dissimilis, sed nequaquam cum eo collocandus, quum al. ant. apicem prominulum habeat ideoque hujus gregis sit; praeterea strigae geminatae cursu facillime ab eo distinguitur. Caput cum thorace album; palpi labiales vix thoracis longitudine, valde acuminati, nivei, in latere externo brunnei. Pedes postici albidi, tarsorum articuli postremi tres in basi nigricantes. — Alae ant. 3½'' longae, elongatae, postice levissime dilatatae, apice vix prominulo, margine postico fere recto, albae, nitidulae, squamis brunneis hic illic sparsis. E margine dorsali medio macula elongato-triangularis brunneo-fusca oblique surgit, quae in strigam transit brunneam, superne in angulum profundum fractam. Costa in basi obsolete brunnea et ante strigae terminum puncto brunneo notata. Postice striga duplex ab initio fusca, deinde brunnea ex dorso oritur et postquam in plica obtuse fracta est, supra medium angulum rectum efficit, cujus apex prope ad marginem posticum accedit. Alae apici inest litura brunnea costalis. Linea marginalis nigra in medio interrupta est nec ad angulum analem perducta; inferiori ejus parti puncta tria nigra adhaerent. Cilia metallica nitida, sordide albida, in punctorum regione luteola. Alae post. sordide albidae, subpellucidae; cilia alba. Al. ant. subtus fusco-cinereae, punctis nigris tribus marginalibus distinctis. — Hab. in Americae calidae civitate Venezuela. (3 specim. mediocriter afflicta in mus. Kaden.)

A, c, α. **8) SATRAPELLUS Zcken.** *Alis ant. apice valde producto, ochraceis, vitta acuminata in medio spinam emittente maculaque ejus apici adjacente argenteis, striga plumbea prope marginem posticum.*

Chilo — Zincken in Germ. Mag. IV, 247.

Distinctus alarum ant. apice producto, dente vittae longissimo, macula elongata vittae apici superius adjacente nivea. Mas *Pascuelli* magnitudine, femina multo major. Caput et palpi cano-pallidi; palpi labiales thoracis longitudine, tenues, exterius dilute cinereo-fuscescentes, margine inferiore albo, subniveo. Antennae pallide griseae pubescenti ciliatae. Thorax cano-flavescens, patagiis obscuris. Pedes pallidi, brunneo suffusi, tarsorum fuscescentium articulis in apice exalbidis. Abdomen cano-pallidum, ♀ crassissimum. Alae ant. ♂ 5''', ♀ 9''', subelongatae, apice valde producto, margine postico perobliquo, sub apice obsolete sinuato, pallide ochraceae. Vitta, quae a costa late et aequali spatio distat, hujus spatii latitudinem paulo superat, postice tantum in acumen longius contrahitur. Color ejus nitidissimus niveus, margine brunneo valde conspicuus. Ante medium ex margine ejus dorsali spinae instar linea emittitur, quae in alae plica longe profertur. Super apice vittae ab eaque angustissimo spatio discreta macula jacet concolor, angusta, ovalis, strigam ferream attingens. Striga haec margini postico propinqua est minusque nitet et in angulum satis acutum frangitur; pars ejus inferior undulata est, superior in costa colore pallido marginata. In apice alae triangulum album minutum utrimque colore brunneo cingitur. Linea marginalis lutescit, in apice alae fusca est. Spatium inter hanc et strigam ferream cinereum, punctulatum, lineolas liberas atras 4—5 continet. Cilia albida, nitida, circa alae apicem exterius fuscescunt. Alae post. ♂ dilute cinereae, ♀ albidae, ante angulum apicalem cinereo suffusae. Cilia albida. Subtus alae ♂ fuscescenti-cinereae, anteriorum margine postico albido. Feminae alae ant. dilutiores, posteriores albidae, juxta costam et in angulo extremo late fuscescenti suffusae. — Patria: Americae septentrionalis provincia Georgia (Zincken).

9) MALACELLUS Dup. *Alis ant. emarginatis, cinereo-fuscis, dorso albo, vitta argentea a costa sensim recedente ultra strigam stanneam aequaliter colore albo in apicem producta, strigulis costae ante apicem 3 albidis, litura anguli analis alba; post. albidis, in apice canis.* ♂.

Crambus — Dup. tab. 270, 1. p. 61. Herrich-Schäffer p. 53. fig. 134.

Certo distinctus ab *Hapalisco*. Multo major est. Vitta al. ant. longius a costa recedit et aequaliter colore albo per strigam plumbeam in alae apicem continuatur, nequaquam ante eum et post constricta. Albedo dorsalis minus abrupta et ante strigam interius sordida est; angulus analis non totus albus est, sed triangulum tantum in fuscedine continet. — Hab. in Hispania australi (Dup.), Jtalia (HS.), Jllyria (Mann: Wien. Zool. Bot. Vereinsschrift IV, p. 580) — in Olympo Mysio ad Prusam et in Ponto ad urbem Amasiam (Led.).

10) HAPALISCUS Z. *Alis ant. emarginatis, brunneo-fuscis, dorso niveo, vitta argentea subcostali ultra strigam stanneam colore niveo anguste in apicem producta; strigulis costae ante apicem 3 albis; angulo dorsali niveo; alis post. albis, pellucidis.* ♂.

Crambus — Z. Lepid. micr. caffr. p. 71.

Habitat in agro Africae natalensi. (Wahlberg).

11) HAMELLUS Thunbg. *Alis ant. leviter emarginatis, brunneo-cinereis, vitta argentea, acuminata, in medio unidentata, ante strigam plumbeam desinente; post. cinereis.*

Tinea hamella Thunbg. Diss. p. 97. t. 4. fig. 3. — Crambus hamellus H S. p. 53. — Tinea ensigerella H. 367. Chilo ensigerellus Tr. 9, 1. 79. Crambus — Dup. p. 57. pl. 275, 4. Argyroteuchia ensigeralis H. Cat. 364.

Hab. in Anglia rarior (Staint.) Suecia, Germania septentrionali et media, in apricis siccis arenosis sub mensis Augusti finem hic illic non rarus; in Finlandia (Tengström).

12) PRAEFECTELLUS Zincken. *Alis ant. elongatis, vix emarginatis, ex cinereo luteoque mixtis nitide aureolis, vitta a costa late distante, argentea, acuminata, in medio obtuse dentata, ante strigam stanneam desinente; post. albidis subpellucidis (♂ ♀.)*

Chilo praefectellus Zinck. Germ. Mag. IV, 249.

A *Cr. pulchello* et *Leachello* valde distinctus alis ant. angustioribus, minus acutis, vitta adversus basim multo angustiore et a costa remotiore, striga stannea in angulum rectilineum fracta, ab *Hamello* differt alis ant. angustioribus, colore ex luteolo aureo, vitta longius acuminata, alis post. albis. *Hamello* magnitudine par vel eo superior. Caput luteo-cinereum. Palpi labiales vix thoracis longitudine, crassi, articulo terminali tenui, cinerei, obscurius punctulati, infra et ad basim albi. Antennae cinereo canoque annulatae, articuli basalis linea antica nivea. Thorax luteus, auro nitens, in medio albidus. Pedes albi, exterius luteo-cinerei, posticorum tibiae in dorso et tarsorum articuli in apice albi. Abdomen luteolo-canum. Alae ant. ♂ 5, ♀ $5\frac{3}{4}$''' longae, angustiores quam

Hamelli, Pulchelli, Leachelli, apice minus etiam producto quam in *Hamello*, luteae, griseo leviter temperatae, in dorso dilutiores, aureolo nitentes, circa vittae apicem squamulis fuscescentibus adspersae. Vitta argentea ex basi ad strigam fere producta, duplo fere latior quam spatium, quo distat a costa, in medio dente minuto in plicam porrecto munita, postice sensim acuminata. Prope ejus apicem superne lineola jacet argentea, non admodum conspicua. Striga stannea margini postico satis vicina est in angulum obtusum fracta, crure inferiore recto, superiore costam hic albidam secante. Cuneus parvus luteus crure superiore et alae apice continetur, utrinque albo marginatus. Spatium inter crus inferius et lineam marginalem luteam angustius est, cinereum, obscurius punctulatum, lineolis 5 liberis atris albido circumdatis notatum. Cilia metallice cinerea, ad alae apicem albida. Alae post. albidae, subpellucidae, venis et margine pallidis, pectine basali longiusculo. — Subtus alae ant. albidae, griseo suffusae, praecipue infra costam, margine supra angulum analem punctis tribus atris picto; posteriores in costa vittae instar flavidae. — Patria: Americae septentrionalis partes calidiores.

13) PULCHELLUS. *Alis ant. leviter emarginatis, fuscescenti-cinereis aureoque mixtis, vitta argentea, postice a costa recedente, acuminata, in medio subtus leviter dentata, paulo ante strigam stanneam desinente, cuneo apicali lineari fuscescente; post. cinereis, cano-ciliatis* ♂.

Similis praecedenti, sed alarum ant. apice magis prominente, vitta multo latiore et postice tantum longius a costa recedente, alis post. cinereis opacis optime distinctus; simillimus *Leachello*, a quo differt alis ant. brevioribus, in spatio, in quod apex vittae excurrit, non abrupte ferrugineo, cunei apicalis forma lineari, alis post. obscure cinereis. Caput et thorax opace brunneo-fuscus; palpi labiales thorace paulo longiores, satis graciles, sensim attenuati, exterius fusci, nitiduli, interius sordide cani, basi subtus alba. Antennae fuscescentes, minutissime crenatae, articulo basali exterius linea alba cincto. Pedes brunneo-fusci, tibiae tarsique posticorum magis lutescentes, tarsorum articuli postice pallidi. Abdomen fusco-cinereum, postice dilutius. Alae ant. $5\frac{3}{4}'''$ longae, apice paulo magis quam in *Hamello* prominente, aequaliter aureo-fuscescentes. Vitta argentea ex basi oritur nec longe a striga desinit; lata est ea et in dimidio basali linea tantum brunnea a margine costali disjungitur; postea ut ipsa coarctatur et in acumen exit, ita spatium costale sensim latescit; medius ejus margo dorsalis denticulum exserit, qui in plica in lineam cineream obsoletam extenditur; lineola argentea vittae apici superne adjacet eique parallela est; infra vittae apicem tales lineolae, sed obsoletae magisque cinereae tres jacent parallelae et inter se et ei lineae, in quam dens vittae propagatur. Striga stannea obtusius fracta quam in *Hamello*, minus obtuse quam in *Praefectello*, crure inferiore magis inflexo. Apex alae ad strigam usque albus est et linea fusca subaequali ad strigam oblique reducta in triangula duo alba dissectus. Inter lineam marginalem tenuem fusco-brunneam et strigam spatium intermittitur aeque latum atque in *Leachello*, paulo angustius quam in *Praefectello*, quod cinereum est et fuscescenti subtilissime punctulatum lineolasque sex liberas cano cinctas continet. Cilia metallice cana, ad alae apicem alba, ceterum exterius obscurata. Alae post. obscure cinereae, prorsus non pellucidae, in apice anguste lividae; cilia griseo-cana. — Subtus alae ant. fuscescenti-cinereae, postice, praecipue in apice, albidae, lineolis marginis postici atris quinque. Post. obscure cinereae, ciliis pallidis. — Hab. in Americae septentrionalis civitate Illinois.

Adnot. Specimen unum *femineum* Kollar mihi misit, cui nomen *Cr. latiritellum* dederat. Quod quum medium inter *Pulchellum* et *Leachellum*, propiorem tamen ad *Pulchellum* locum teneat, indicabo, quibus notis ab illo recedat. Caput, palpi labiales exterius et pedes antici grisei. Abdomen pallidum. In alis ant. spatium inter strigam stanneam et vittae apicem pari modo atque in *Leachello* colorem laete ferrugineum habet a cetero colore valde distinctum. Lineolae infra vittae apicem parallelae nullae, sed pro iis color primarius late fuscescenti subtilissime punctulatus est. (Cunei apicalis forma ut in *Pulchello*). Alae post. *subpellucidae*, albo ciliatae, subtus albidae, costa anguste cinerea.

14) LEACHELLUS Zincken. *Alis ant. leviter emarginatis, fuscescenti-aureis, vitta argentea acuminata in medio subtus subdentata, ante strigam stanneam desinente, spatio inter ejus apicem et strigam ferrugineo, cuneo apicali triangulari fuscescente; post. maris albidis antice canis, fem. albis suppellucidis.*

Chilo Leachellus Zinck. Germ. Mag. IV, 114. Crambus involutellus Clemens Contributions V, p. 203.

Quum simillimus sit *Pulchello* et a Zinckenio descriptus, satis habeo indicare, quibus rebus ab eo differat. Occiput et thorax brunneo-orichalcea. Palpi labiales brunneo-cinerei, nitidi, subtus ad apicem usque angustissime albi, basi ipsa subtus nivea. Pedes lutei, antici obscuriores, tarsorum posticorum articuli in apice albidi. Ab-

domen livido-cinereum. In alis ant. inter vittae, cujus forma et situs idem est, apicem et strigam stanneam color est dilute ferrugineus, qui a reliquo, qui est aureo-brunneus et pallidior quam in *Pulchello*, non leviter distinguitur. Vittae dens obsoletissimus. Lineolae inter vittae apicem et plicam obsoletissimae punctulisque fuscis fere obtectae, quum ea, quae apici vittae superius adjacet, colore argenteo sit et interdum cum vitta ipsa conjuncta. Linea, quae ex alae apice albo oblique descendit, in trianguli elongati formam augetur, quod strigae stanneae insistit. — Alae post. maris albidae, adversus apicem cinerascentes, in basi nonnihil pellucidae; fem. albae totae, ubique pellucidulae. — Subtus al. ant. obscure cinereae, costae linea pallida, margine postico latius pallido venisque cinereis dissecto; puncta marginis postici infra medium tria atra. Alae post. maris albidae, fem. albae, in utroque sexu litura costali cinerea. — Patria Americae septentr. civitas Jllinois.

Adnot. Puncta atra ante marginem posticum vidit Zinckenius, ego in ipsius specimine lineolas vidi sex supremas vere brevissimas. — Clementis *Involutellum* recte huc referre mihi videor; quum enim de al. ant. forma taceat, quae certissimam notam praeberet, vittam fere ad marginem posticum extendi verius de *Leachello* quam de *Praefectello* dicere potuit.

15) GIRARDELLUS Clem. *Alis ant. vix emarginalis, latiusculis, argenteis, linea lata media ferruginea, postice dilatata, truncata, cuneo apicali ferrugineo, punctis marginalibus atris 4—5 (♂ ♀.)*

Crambus Girardellus Clemens Contributions V, p. 204.

Pulcherrimus et a vicinis defectu vittae et strigae spatiique specularis distinctissimus, minime tamen ab his removendus, quum colore argenteo omnia ea quasi hausta sint et lineam ferrugineam nihil esse pateat nisi vittae ordinariae marginem et terminum ejus ibi esse, ubi striga metallica transire solet. — Magnitudo *Praefectelli*. Caput album; palpi labiales thoracis longitudine, attenuati, exterius dilute brunnei, marginibus supero et infero anguste albis. Antennae albidae, ♂ pubescentes. Thorax niveus, patagiis ferrugineis. Pedum femora antice, tibiae et tarsi ex luteo fuscescunt, posticorum tarsi albido punctati sunt, tibiae interius albent. — Abdomen pallidum, maris fere album. — Alae ant. 5¾''' longae, latiusculae, vix emarginatae, niveae, nitidae; vitta angusta infra medium ducta, postice subito dilatata, deinde ibi, ubi striga ferrea esse solet, recta truncata est, et ita in acumen superius exit; color ejus ferrugineus vel (♂) ochraceus in margine superiore squamis fuscis, in ♀ fere contiguis, adspersus est. Linea marginis postici brunnea; quinque vel 4 lineolae brevissimae atrae, aequis spatiis separatae, hujus lineae parti inferae insistunt. Praeterea mas nulla signa habet. Feminae angulus parvus ferrugineus est, cujus alterum crus ipsi alae apici innititur, alterum, quod pallidius est, super ultimam lineolam atram marginem posticum tangit. Atque ubi plica in marginem excurrit, ibi squamae ochraceae sparsae sunt et lineolam atram minus distinctam reddunt. Cilia alba, metallice nitida. — Alae post albae, niveo-ciliatae. Subtus al. ant. fumosae, venis obscurioribus, costa postice et margine albis, punctis 4—5 marginalibus atris. Posteriorum costa sordida, vena subcostalis cum ramis suis infumata. — Hab. in Americae septentrionalis civitate Massachusetts (Clemens), Ohio (Schläger).

16) ALBOCLAVELLUS Schläger in lit. *Alis ant. latiusculis, vix emarginatis, brunneis, vitta subargentea lata costam tangente acuminata, infra apicem unidentata, macula post eam ovata alba strigam superante et ad marginem propagata ♂.*

Hic e minoribus est. Caput pallidum; palpi thoracis longitudine, attenuati, dilute fuscescentes, interius et ad basim albi; antennae ciliatae simplices. Thorax griseo-lutescens. Pedes antici fusco-grisei, posticorum tibiae tarsique albidi. Abdomen pallide ochraceum. — Alae ant. 4¼''' longae, latiusculae, vix emarginatae, luteo-brunneae. Vitta lata nivea leviter nitens costam fuscam sequitur et pone mediam alam acumine sive mucrone terminatur, ac praeterea inferius ante terminum dentem brevem emittit. Et supra mucronem et in dentis sinu color primarius obscuratus est. Infra vittae mucronem macula jacet alba ovata, quae striga superata marginem alae attingit ibique lineolam atram supremam includit. Striga stannea est et luteo marginata et in costam colore albido exit. Inter eam et vittae terminum costa lituram albam fert. Apex alae fuscus liturula albida costali et macula marginali minuta nivea notatur, quam linea marginalis fusca a ciliis separat. Puncta sive lineolae atrae quatuor spatiis aequalibus inter se distantes margini adhaerent. Cilia metallica cinerea, ad maculam niveam apicalem alba. — Alae post. sordide albidae, purius ciliatae. Subtus alae ant. pallent; costa strigaque postica arcuata obsoleta et superius in lituram dilatata fumidae; puncta marginalia distincta lineaque marginalis in alae apice nigra. Posteriores in costa late fumido-cinereae. — Patria: Americae septentrionalis civitas Ohio (Schläger.)

17) PASCUELLUS Linn. *Alis ant. emarginatis ochraceis, dorso albido, vitta argentea subcostali acuminata mucronata non dentata, macula parva inter eam et strigam stanneam nivea; post. albidis; palpis supra niveis.*

Tinea pascuella Linn. Fn. p. 355. Hübn. fig. 131. — Chilo pascuellus Tr. 9, 1. 75. Crambus — Dup. p. 50. t. 269, fig. 2. — HS. p. 53. — Argyroteuchia pascualis H. Cat. 364.

Var. b) palpis, capite, thorace, alis ant. luteo-fuscescentibus nitidulis, vitta maculisque plane concoloribus; alis post. obscure cinereis. Var. b. Zincken Germ. Mag. 2, 50. Ahrens Fauna 3, fig. 16. cf. Ent. Ztg. 1857, 270.

Hab. in Europa septentrionali et temperata, in pratis humidis frequentissimus mense Junio exeunte et Julio. Var. b. dissimillimam, sed non diversam a var. a. ipse ex Saxonia obtinui, Zincken ad Brunsvigam cepit.

18) EXTINCTELLUS Z. *Alis ant. emarginatis dilute griseo-aureis nitidulis, vitta prope costam cineream albida obsoleta, macula alba inter ejus apicem et strigam plumbeam obsoletam vix conspicua; post. canis.*

Crambus — Z. Ent. Ztg. 1857, 271.

Hab. in Islandia.

19) SILVELLUS Hbn. *Alis ant. obsolete emarginatis, dilute ochraceis, vitta argentea, a costa distante, subobtuse terminata, non dentata; macula lineari ab ejus apice contiguo per strigam ad marginem posticum perducta; post. dilute cinereis; palpis ochraceis.*

Tinea silvella H. 369, 370. Crambus silvellus HS. p. 54. Dup. t. 269, f. 4. Chilo adippellus Tr. 9, 1. 73. Argyroteuchia adippalis H. Cat. 364.

In Europae mediae et frigidioris pratis turfosis humidis socius *Sclaselli* vulgatus.

20) ERICELLUS Hbn. *Alis ant. obsolete emarginatis, fusco-luteis, vitta angusta nivea, a costa late distante, acuminata, non dentata; macula oblonga nivea in spatio inter ejus apicem et strigam plumbeam; post. obscurius cinereis; palpis brunneis.*

Tinea Ericella H. 371. Chilo Ericellus Tr. 9, 1. 78. Crambus — HS. p. 54. — Argyroteuchia ericalis H. Cat. 364.

Hab. in Europa media: ad Brunsvigam in humidis ericetosis (Zck.), in Bohemia, Bavaria (HS.); ad Berolinum (Metzner); in Finlandia (Tengström); ipse in Carinthiae alpinis Julio mense rarum cepi cum *Dumetello* et *Radiello*, ubi Erica nulla crescit.

21) HERINGIELLUS HS. *Alis ant. vix emarginatis latiusculis, fusco-brunneis, vitta media tenui albida late a costa distante, postice bifida; macula in spatio inter eam et strigam plumbeam alba ab utraque longe distante; post. fusco-cinereis.*

Crambus Heringiellus HS. fig. 142 p. 54.

Hab. in Pomeraniae paludosis (Hering), in Livonia (Lienig), Finlandia (Tengström).

22) ALIENELLUS Zcken. *Alis ant. vix emarginatis, latiusculis, fuscescenti-brunneis, vitta media nivea angusta, a costa late distante, post medium unidentata; macula in spatio inter eam et strigam plumbeam lineolisque infra eam parallelis niveis; post. cinereis.*

Chilo alienellus Zincken Germ. Mag. 2, 60. Ahrens Faun. 3, 18. — Crambus alienellus HS. fig. 3. p. 54. Chilo Zinckenellus Tr. 10, 3. 166. Crambus Tigurinellus Dup. p. 59. tab. 270. f. 3. — Crambus ocellellus Zetterstedt Ins. lapp. 994.

Hab. in Helvetia (Dup.), Livoniae paludosis (Lienig), Finlandia (Tengstr.), Lapponia (Zetterstedt).

†23) CORSICELLUS Dup. *Alis ant. vix emarginatis, latiusculis, luteo-brunneis, vitta argentea, a costa late distante, ad medium perducta, acuminata, non dentata; macula nivea strigae denticulatae (albidae?) interius adhaerente, a vitta late separata; post. sordide albidis.*

Crambus corsicellus Dup. p. 85 t. 270. f. 1.

Hab. in Corsica. (Dup.) — Meritone in hanc societatem inferatur, cilia, quae Dup. fusca alboque subtiliter incisa dicit, dubium reddunt.

24) LABRADORIENSIS Christoph. *Alis ant. vix emarginatis, elongatis, cinereo-fuscis, vitta media angusta alba, a costa late distante, circa medium desinente, postice bifida; squamis albis in maculas lineolasque congestis inter maculam fuscam et strigam plumbeam; post. fusco-cinereis.* ♂.

Crambus Labradoriensis Christoph Entom. Zeitung 19. p. 314. — Wiener Ent. Monatschrift 4, 379.

Similis *Alienello* et *Heringiello* differt ab utroque alis multo longioribus alioque colore, ab *Alienello* praeterea vittae apice fisso et spatio speculari paulo latiore magisque albido. Magnitudo fere *Alienelli.* Thorax et caput fusco-brunnea, epistomii margines laterales, palpi subtus adversus basim et patagiorum apices albi. Pedes interius albi, exterius fusci, albido conspersi; tarsorum articuli apicibus albis, tibiae posticae albidae. Abdomen nigricans, apice griseo, ventre cinerascente. Alae ant. 4½‴ longae, elongatae et cinereo-fuscae, postice luteo temperatae. Vitta media alba angusta late a margine costali abest et circa alam mediam finitur apice bidenti. Deinde spatium sequitur maculae obscuriori simile, quod squamae albae excipiunt in maculam lineolasque paucas obsoletas collectae. Dorsum albido squamatum macula media nigro-fusca distinguitur. Strigae crus inferum nitere solet, superum albet et obsoletum est; margo strigae uterque colore fit magis luteo-fusco. Apex alae nigro-fuscus lineola marginis postici alba notatur; in costa ante eum liturulae albidae duae maculam nigro-fuscam includunt. Spatium speculare paulo latius quam in *Alienello* magisque albo squamatum puncta quatuor atra margini cohaerentia continet; superius duo alia puncta discerni possunt. Cilia cinerea mediocriter nitidula, ad alae apicem liturula alba adjecta. Alterum ejusdem speciei specimen vittam habet in squamas solutam, ut vix distinguatur. Nec squamae, quae deinde sequuntur, in maculas lineasque collectae sunt, et in speculo tantum ante puncta atra singula squamae albae adsunt. Alae post. obscurae fusco-cinereae, cilia cinerea. — Subtus alae ant. obscure fumidae, signis nullis, ciliis modo ad apicem alae albo notatis; posteriores cinereae. — Patria: Labrador (Christoph). Duo vidi specimina.

A, c, β. **25) ULIGINOSELLUS Z.** *Alis ant. leviter emarginatis breviusculis pallide ochraceis, vitta nivea costam tangente, per venam subcostalem infuscatam divisa, postice acuminata, in medio unidentata, longe post medium desinente; macula oblonga nivea ab ejus apice ad strigam plumbeam porrecta; alis post. albidis, antice cinerascentibus; palpis supra albis. Var. b) alarum ant. vitta infumata* ♂.

Crambus uliginosellus Z. in: Zeitschrift f. Entomol. 4. (1850) Lep. p. 34. tab. 3. fig. 8. — Stainton Manual 2, p. 182.

Quum vena subcostalis pallet, vitta integra videtur; tum magna *Pascuelli* similitudo. — Hab. in pratis Silesiae tam planae, quam montanae turfosis humidis mense Junio Juliique initio. In Anglia paucis locis copiosus (Stainton.)

26) AGITATELLUS Clem. *Alis ant. non emarginatis, breviusculis, laete ochraceis, vitta nivea costam tangente per venam subcostalem luteam divisa, acuminata, ante apicem infra dentata, in medio alae desinente; macula nivea contigua per strigam stanneam ad marginem posticum propagata; post. canis; palpis griseo-luteis.* ♂ ♀.

Cr. — Clemens Contributions V, p. 203.

Major *Uliginosello*, nonnihil similis, sed vittae brevitate, macula ad marginem perducta, palpis et thorace lutescentibus etc. diversus. Similior est *Saltuello*, sed minor, alisque ant. non emarginatis, vitta breviore, latiore et propius ad apicem dentata, macula alba majore facile separatur. Caput et thorax ochracea; palpi thoracis longitudine, modice attenuati, exterius griseo-lutei, margine infero in dimidio basali anguste albo. Antennae pallidae, pubescentes, art. basali ochraceo. Pedes antici griseo-lutei, medii dilutiores, utrique nitiduli, posticorum tibiae tarsique ♂ in dorso fuscescentes, tarsi articulorum apicibus exalbidis, ♀ tibiae pallide ochraceae, tarsi pallidiores quam in ♂. Abdomen pallide ochraceum, fasciculo anali satis piloso. — Alae ant. 4 — 4¾‴ longae latiusculae, ante apicem nihil fere impressae, laete ochraceae s. pallide ferrugineae, in dorso pallidiores. Vitta nivea nitidula costam fuscam attingere videtur, sed vena subcostalis ochracea partem costae proximam linearem eamque minus nitentem resecat. Apex vittae, qui paulo post medium alae est, acutus est et linea cinnamomea vel brunnea superius marginatur. In media ala ex vitta dens non procul ab apice prominet. Macula oblonga nivea nitidula inter vittae apicem strigamque posita ab utraque strigae ferrugineae ope discernitur, supraque eam et infra binae lineae argenteae squamis atris marginatae inter se parallelae jacent, quarum secunda e vittae apice, quarta ex dente videtur prodire. Infra quartam femina in plica quintam lineam habet minus nitidam et squamis rarioribus marginatam Striga stannea est, crure superiore in costae punctum album exeunte, ante quod liturula alba costalis est, utrimque fuscedine definitum. Apex maculam parvam cinnamomeam continet, maculis parvis duabus coarctatam, quarum al-

tera minor est et obsoleta et costae adjacet, altera distinctior et purior lineae marginis postici nigrae adhaeret. Spatium speculare ferrugineum superius albo colore terminatur, qui maculae albae pars continuata videtur, et puncta atra inaequalia quinque margini apposita continet. Cilia metallico cinerea, ad alae apicem in basi alba. — Alae post. dilutissime cinereae, albido ciliatae. Subtus alae ant. pallidae, in disco ♂ late, ♀ tantum adversus apicem fumidae, costa vittae instar straminea ante apicem oblique interrupta. Puncta marginis postici atra distincta. Alae post. albidae, costa straminea, in ♂ subfumata. — Hab. in America septentrionali, in civitatibus Ohio et Illinois et ad urbem Washingtoni (Osten-Sacken).

27) SALTUELLUS n. sp. *Alis ant. leviter emarginatis, longiusculis, ochraceis, linea subcostali vittaque media argenteis, vitta acuminata longe ante apicem dentata, macula parva inter vittae apicem et strigam obsolete ad marginem perducta; posterioribus canis, lineola ex costa ante apicem fuscescente.* ♂.

Similis *Agitatello* et *Pratello*. Ab illo jam alis emarginatis differt, ab hoc colore laetiore et nitidiore et eo, quod vitta in duas tantum partes, quas lineam subcostalem et vittam mediam vocamus, non in tres divisa est. Nec *Pratellus* unquam strigulam costalem in alis post. habet. Caput lutescens, palpi thoracis logitudine, attenuati, exterius griseo fuscescentes, margine infero adversus basim albo. Antennae pallidae, pubescentes. Thorax lutescens, patagiis obscurioribus. Pedes in adversa parte ex luteo grisei, tarsi postici apicibus articulorum pallidis. Abdomen pallide ochraceum. Alae ant. $4\frac{1}{2}-6\frac{1}{4}'''$ longae, paulo longiores quam *Pratelli*, infra apicem leviter emarginatae, dilute ochraceae, ad dorsum pallidiores. Costam fuscam linea nivea nitidula sequitur, quam vena subcostalis lutea crassiuscula a vitta separat, et lineola oblique ex costa deducta longe ante vittae apicem terminat. Vitta media argentea, modice lata, longe post alae medium desinit acuminata squamisque fuscis circumdata. In medio alae longius ab apice dentem ea emittit. Macula parva nivea inter vittae apicem et strigam posita longiore ab hac intervallo quam ab illo distat. Supra eam binae lineae argenteae squamis fuscis marginatae jacent, infra tres, et secunda quidem e vittae apice, quinta ex dente oritur. Striga stannea, quam color laetius ochraceus circumdat, adversus costam interius fusco marginatur. Ante eam in costa duae strigae albidae positae sunt, fuscedine discretae, altera, quae strigae adjacet, major, distinctior. Apex alae ferrugineus liturulam costalem albidam obsoletam et maculam parvam lineae marginis postici nigrae adhaerentem continet. Spatium speculare ferrugineum superius albedine finitur, qua macula propagata videtur ad marginem usque. Puncta in eo marginalia atra quinque inaequalia interius albo ornantur. Cilia metallice cinerea. Alae post. dilute cinereae vel sordide albidae; lineola ante apicem ex costa oblique ad marginem posticum deducta. Cilia alba. Subtus alae ant. fumatae, costa vittae instar pallida ante apicem interrupta. Puncta marginalia atra distincta. Alae post. ad costam latius infumatae. — Hab. in America septentrionali, in civitatibus Ohio et Jllinois; ad Novum Eboracum (Tengström).

28) PRATELLUS Clerk. *Alis ant. emarginatis, breviusculis, griseo-lutescentibus vel ochraceis, linea subcostali, vitta acuminata longius ante apicem dentata, et cuneo earum apicibus interjecto albis, macula ejus apici contigua alba breviore oblonga; post. cinereis.*

Tinea pratella Clerk tab. 3 fig. 14. — Hbn. fig. 401. — Chilo pratellus Tr. 9, 1. 81. Crambus. — Dup. p. 54. t. 269. fig. 3. Argyroteuchia pratalis H. Cat. 361. — ? Crambus pratorum Fabr. Suppl. 471.

Hab. in magna Europae parte, etiam calidiore, a Maji mensis medio ad Julii finem usque. Et linea subcostalis et cuneus interdum fuscedine fere obtecta sunt. De nomine cf. Ent. Ztg. 1855. p. 213.

29) ALFACARELLUS Staud. *Alis ant. emarginatis pallide ochraceis, linea subcostali, vitta media acuminata longius ante apicem unidentata cuneoque postice interjecto albis confluentibus, macula apici ejus contigua alba longiore oblonga, post. cinereis, linea obsoleta diluta ante marginem medium.* ♂.

Crambus Alfacarellus Staud. Ent. Ztg. 1859, p. 221.

Patria: Vandalusiae montes qui hodie dicuntur Sierra de Alfacar, et Castilia; tempus mensis Julius. — Alae ant. non latiores sunt quam in *Pratello*, sed paulo breviores vel eadem longitudine. Strigam angulo rotundiore frangi de altero duorum speciminum concesserim, in altero angulus differre a *Pratello* non videtur. Punctum nigrum medium, quod Staud. commemorat, squamis efficitur in angulo inter vittam et dentem congestis. In *Pratello* dentis tantummargo vittae obversus squamis fuscis notatus est. Spatium inter vittam et strigam dimidio fere longius est in *Alfacarello* quam *Pratello*. In alis post. striga diluta ante marginem medium obsoleta distinguitur, cujus in *Pratello* nullum vestigium.

30) NEMORELLUS H. *Alis ant. emarginatis, croceis, linea costae lata abbreviata vittaque media inermi apice rotundato proxime ante strigam stanneam terminata, macula contigua nulla; post. cinereis.*

Tinea nemorella H. 381. Crambus nemorellus HS. p. 55. Chilo Lathoniellus Zck. Germ. Mag. 2, 61. Argyroteuchia enemoralis H. Cat. 364.

Hab. ad Brunsvigam mense Majo exeunte (Zck.). — Mirum, quod nemo post Zinckenium eum invenit. Effigies mihi quondam missa est alterius speciminis a Z. capti, quae nulla re graviore a figura Hübneriana discrepat. — Quum macula vittae contigua desit, proprius *Nemorelli* locus inter *Pascuelli* socios foret. Dissuadet vero cuneus albus inter lineam subcostalem et vittae apicem interpositus.

31) LUCELLUS HS. *Alis ant. vix emarginatis cinnamomeis, vitta media albida non dentata, postice late furcata, lineolis 5 albidis inter eam et strigam, spatio marginali squamulis atris punctulato* ♂ ♀.

Crambus Lucellus HS. fig. 135. p. 59. — Mann (Schriften d. Wien. zool. bot. Vereins 4, 580).

Subcostalis hujus linea subobsoleta, macula in lineolas soluta. Femina major, dilutior, alis ant. distinctius emarginatis. — Hab. in Hungaria (HS.), in Illyriae monte Nanos mensibus Majo et Junio (Mann.)

32) ALBELLUS Clem. *Alis ant. vix emarginatis, latiusculis, albis, striga postica fracta argentea ochraceo marginata, strigulis ante eam costalibus duabus ochraceis, priore refracta; post.* ♂ *dilute cinereis,* ♀ *albidis.*

Crambus — Clemens, Contributions V. p. 204.

Certo ad hos pertinet, quoniam, quum color primarius albus impediat, quominus vitta describatur, marginis ejus partem posticam strigula refracta certissime indicat. — Magnitudo *Culmelli.* Palpi thoracis fere longitudine prope basim exterius cinereo leviter suffusi. Reliqua corporis alba, abdomine solo pedumque anticorum parte adversa pallide ochraceis. — Alae ant. 4‴ longae, latiusculae, vix emarginatae, albae, in ea parte, ubi vitta esse solet, niveae. Post medium striga lutescens tenuis peroblique demittitur, quae ibi, ubi in aliis vittae apex jacet, subito frangitur et angulo acuto facto ad plicam descendit ibique evanescit. Strigula deinde sequitur costalis, brevis, parallela, pari spatio a priore et a striga distans. Striga ordinari argentea est, utrimque ochraceo marginata, in angulum acutum fracta; margo ochraceus ejus exterior marginem alae posticum e regione anguli attingit. Costa denique liturulam ochraceam ante apicem gerit. Squamulae nigrae in disco post medium rarissime sparsae sunt. Margo posticus punctis atris 4 vel 5 colore ochraceo separatis pictus est et ad alae apicem linea atra a ciliis distinctur. Cilia metallice cana, ad alae apicem et angulum analem alba. — Alae post. ♂ dilute cinereae, ♀ albidae, cilia utriusque alba. — Subtus alae ant. leviter infumatae, puncta marginalia distincta. — Hab. in Americae septentrionalis civitatibus Ohio et Illinois.

33) BIPUNCTELLUS n. sp. *Alis ant. non emarginatis, latiusculis, niveis, punctis nigris disci duobus majusculis, altero in medio, altero postice superius posito, margine toto atro-punctato, striga ochracea in angulum rotundatum fracta.* ♂ ♀.

Etiam hic merito hoc loco inseritur. Punctorum enim nigrorum alterum vittae apicem, alterum vittae dentem denotant. — Multo major praecedenti. Corpus album. Palpi thoracis fere longitudine, attenuati, exterius levissime canescentes. — Antennae ♂ pubescentes. Abdominis medium griseo fasciatum. — Alae ant. 5¼‴ longae, breviusculae, non emarginatae, niveae. Puncta in disco duo majora nigra; alterum, quod majus est, in alae medio plicae insidet; alterum superius locatum est ita, ut a priore et a striga pari intervallo absit. Puncta haec linea junguntur pallide ochracea vel solum punctulis nigris 2 indicata, quae a puncto inferiore ad marginem dorsalem oblique demittitur et in hoc quoque cursu punctulis paucis nigris deciduis indicatur. Striga, cujus locus duplo propior ad marginem posticum est quam ad punctum superius, tenuis est, ochracea, punctis nigris 8—9, quae interdum prorsus detersa sunt, adspersa, in angulum obtusum subrotundatum fracta. Margo posticus totus atro-punctatus est; punctorum numerus 7, vel si infimum distinctum est, 8; punctum supremum lineolae brevissimae formam habet. Cilia metallice nitida, nivea. — Alae post. albae, magis minusve cinereo suffusae, marginibus tamen et ciliis fere niveis. Subtus anteriores obscurius infumatae, litura costae pallidae ante apicem fusco-cinerea, margine postico late niveo atro-punctato; posteriores minus obscure infuscatae, marginibus interno et postico latius albis. — Hab. in civitatibus Ohio et Illinois Americae septentrionalis.

34) PORCELLANELLUS Motschulski.

Crambus porcellanellus Motschulski Etudes entomol. 9, p. 38.

Hab. in Japonia. Specimen, quo M. usus est, vidi et non solum a ceteris *Crambis* differre, sed etiam in hac vicinia ponendum esse cognovi; at illud adeo detritum est, ut si describerem, notas parum certas afferrem; itaque satius duxi ipsius verba Motschulskii scribere: „figura *Cr. Nemorelli*, sed alis longioribus, color argenteo-albidus; „alis ant. supra medium versus punctis nonnullis in seriem obliquam dispositis nigris; alis post. subtus et supra „antice cinereis, postice albidis; palpis mediocribus fronteque argenteo-albidis." — Haec adnoto: puncta s. squamas ibi esse, ubi vittae margo a dente ad apicem extendatur, et strigae detersae vestigium in costa ante apicem conspici et puncta atra tria fere in margine postico infero discerni. Majus etiam est animal quam *Pratellus*, alaeque paulo longiores; palpi vero quum essent praefracti, mediocres visi sunt.

35) DUMETELLUS Hbn. *Alis ant. emarginatis brunneo vel cinereo-luteis, linea subcostali brevi, vitta media acuminata longe ante apicem acute dentata maculaque oblonga vittae apici contigua niveis nitidis, spatio speculari cinereo, obscurius irrorato.*

Tinea dumetella H. 389. 390. Chilo dumetellus Tr. 9, 1. 80. Crambus — Dup. p. 52 t. 269. f. 2. — HS. p. 54. — Tinea pratella H. 29. Argyroteuchia dumetalis H. Cat. 364. Agriphila pratalis H. Cat. 365.

Var. b) vitta supra dentem dissecta. ♂.

Var. c) vitta in lineam plumbeam mutata, in medio transverse dissectam. ♀. (Patria Silesia — Mus. Wocke).

Hab. in magna Europae parte in siccis apricis, etiam alpinis. Varietatem b in Silesia campestri cepi.

Adnot. Specimen masculum in Carinthiae alpibus cepi diversissimum, ut propriam speciem putarem, si plura capere potuissem. Majus est ceteris, in quorum societate volabat. Color in alis ant. cinereo-fuscescens. Vitta multo brevior, obtuse terminata. Itaque non solum macula inter eam et strigam interposita duplo fere longior, sed etiam litura parva illa albida, quam *Dumetellus* in costa ante strigam fert, in maculam aucta est. Reliqua non differunt.

36) LAQUEATELLUS Clemens. *Alis ant. leviter emarginatis, longiusculis, ochraceis (♀ pallidioribus) linea subcostali vittaque media acuminata integra longis argenteis, macula apici vittae contigua albida minuta obsoleta, spatio speculari cinereo lineis 4 atris diviso.* ♂ ♀.

Crambus laqueatellus Clemens Contributions p. 203. — Cr. aerochalcellus Kollar in lit.

Magnus, insignis prae aliis spatio speculari lineolas atras quatuor includente. — Caput ochraceum. Palpi ochraceo-fuscescentes, labiales thoracis longitudine, tenues, margine infero albo, postice anguste pallido. Antennae fuscescentes, griseae, pubescentes. Thorax ochraceus, patagiis vitta fusco-cinerea notatis. Pedes brunneo-grisei, tarsi postici obscuri articulorum apicibus pallidis. Abdomen ochraceo-canescens. — Alae ant. $5\frac{3}{4}$—$6\frac{1}{2}$''' longae, longiusculae, infra apicem (ut in *Saltuello*) vix emarginatae, pallide ochraceae, ♀ dilutiores, lineae subcostalis vittaeque marginibus distinctis fuscescentibus. Linea subcostalis latiuscula, argentea s. nitide nivea post medium alae desinit. Vitta ejusdem coloris longissima, lanceolata, postice subdilatata, deinde acuminata longe post alae medium desinit. Macula inter ejus apicem et strigam interposita obsoleta est, brevis, angusta, obsoleta, sed pars contigua, quae strigam superat et marginem tangit, purior est meliusque circumscripta. Supra maculam lineae duae, infra 4 argenteae, nigro tenuiter marginatae jacent, secunda ex vittae apice orta et maculae apposita, sexta, quae longissima est, plicam sequitur. Spatium alae dorsale pallet, lineisque ochraceis tribus duabusve secatur, infera obsoleta. Striga stannea angulo acuto fracta colore albo in costam exit, interque eam et lineae subcostalis apicem strigula nivea costalis est obliquissima, utrimque fusco marginata. Spatium speculare latiusculum est, quum striga sit concava, cinereum lineisque quatuor atris tenuibus dissectum. Apex alae triangulum luteum vel brunneum continet, interius linea argentea finitum, eique in costa litura, in margine postico triangulum album adjacet. Cilia metallice cinerea, ad alae apicem albida. — Alae post. dilute cinereae, albo ciliatae. Subtus alae ant. obscure infumatae, costa ochracea, margine late albido, punctis marginalibus nigris minutis; posteriores albidae, ex costa magis minusve late cinerascentes. — Hab. in America septentrionali, ad Novum Eboracum (Tengström), in civitate Ohio (Schläger.) Clemens certum locum non indicavit.

B, a. **37) HORTUELLUS Hbn.** *Alis ant. acutis, orichalceo-ciliatis, stramineis, juxta venas fuscescenti lineatis, striga postica plumbea obtuse fracta, strigula in alae apice transversa plumbea.*

Tinea hortuella H. 46. Chilo hortuellus Tr. 9, 1. 81. — Crambus hortuellus HS. p. 59. — Dup. p. 68. t. 271. f. 1. b. — Chrysoteuchia hortalis H. Cat. 366. Tinea falsella Schrank Fn. 2, b. p. 103.

Var. b) alis ant. stramineis, lineis fuscescentibus juxta venas nullis, ceterum ut a. (♂.) — Tin. cespitella H. 45. Chrysoteuchia caricetalis H. Cat. 366. Crambus hortuellus Dup. t. 271. fig. 1. a. — Tinea strigella Fabr. Ent. syst. 3, 2. 297. Crambus strigatus Fabr. Suppl. 472.

Var. c) alis ant. totis fuscescenti suffusis, ceterum ut a.

Hab. in Europae magna parte. Var. c) in Anglia frequentior. Var. b) minime dubia, quamvis Gueneus dubitet (Cat. 93.)

38) DIPLOGRAMMUS n. sp. *Alis ant. acutis, orichalceo-ciliatis, pallide venosis, venarum intervallis cinereis fusco-marginatis, strigis duabus posticis plumbeis obtuse fractis in limbo antemarginali ferrugineo; palpis mediocribus.* ♂.

Valde insignitus strigis duabus plumbeis in spatio late ferrugineo ante marginem posticum. Magnitudo *Chrysonuchelli.* Capilli nivei, thorax luteo-cinereus, antice in medio albus. Palpi luteo-fusci; maxillares superne nivei; labiales thorace breviores, attenuati, exterius luteo-fuscescentes, apice obscuriore violaceo-nitente, interius et ad basim nivei; haustellum albo squamatum. Pedes antici cinereo-ochracei, mediorum tibiae in dorso lutescentes, postici albi. Abdomen ochraceo-canum. Alae ant. 5 — 5¾‴ longae, paulo longiores minusque acutae quam in *Chrysonuchello*, a basi usque ad partem posticam ferrugineam fusco-cinereae, sed ita, ut venae tenues ochraceae utrimque fusco marginatae sint et intervalla cinereo colore impleantur. Mediam alam nebula obscurior obliquissime transit, superius fracta et reflexa. Reliquum alae spatium ferrugineum. In eo strigae sunt duae plumbeae superius fractae et inter se fere parallelae; prior tenuiter fusco marginata et superius in angulum rotundatum fracta est et ubi in costam exit, albescit; posterior supra spatium speculare, quod punctis 3 atris marginalibus ornatum est, acutius fracta semel bis ve marginem posticum attingit. Et ab eo loco usque ad alae apicem margo posticus linea nigra, cui litura alba adjacet, a ciliis separatur. Cilia metallica orichalcea, qui color juxta lineam marginalem nigram et prope angulum analem albescit. Alae post. cinereae vel canae, albo ciliatae, linea marginali prope alae apicem fusca. Subtus alae ant. fumidae, costa pallida postice lituris fuscis duabus interrupta, alae apice ochraceo, punctis 3 marginalibus atris distinctis. Posteriores lituram unicam costalem habent ante apicem. — Hab. in Japonia (Motschulski).

39) EXIMIELLUS Zincken. *Alis ant. oblongis, orichalceo-ciliatis, sordide stramineis, vitta costali pallidiore, vitta adjecta intervallisque venarum fusco purpureis, striga plumbea prope marginem posticum vitellinum atro-punctatum; palpis brevibus.*

Chilo — Zck. Germ. Mag. 4, 251.

A *Chrysonuchello* ejusque affinibus palporum brevitate, alis ant. longioribus differt. — *Chrysonuchello* major. Caput ochraceum. Palpi labiales thorace multo breviores, satis tenues, acuti. Haustellum mediocre convolutum. Antennae simplices, fuscescentes, pube brevissima. Thorax ochraceus squamis fuscis purpureo micantibus conspersus. Pedes pallidi, anticorum pars adversa ex fuscescenti cinerea; tarsorum posticorum articuli fuscescentes pallido terminati. (Abdomen deest.) — Alae ant. 7‴ longae, oblongae, margine postico convexiusculo, apice distincto, sordide stramineae s. pallide ochraceae. Vitta lata costalis pallidior sub alae apicem coarctatur; eam vitta aeque fere lata comitatur fusca purpureo violaceoque micans, ante strigam subdilatata. Juxta venas, praecipue inter venae medianae ramos, squamae fuscae, purpureo nitidae, in lineas crassas congestae. Pars alae dorsalis talibus squamis caret, sed eae fortasse detersae sunt. Prope marginem posticum striga plumbea, margini parallela, sed superius, ubi vittam costalem attingit, paulo magis remota. Spatium inter eam et marginem posticum colore vitellino est et punctis atris 6 vel 7 marginalibus pictum. Cilia orichalcea. — Alae post. albidae vel canescentes, adversus angulum anticum obscuratae; cilia albida. Subtus alae ant. pallidae, in disco infumatae, vitta costali pallida relicta. Posteriores albidae, costa ex griseo flavida. — Hab. in Brasilia. — Zinckenii descriptio secundum specimina meliora facta videtur, nihilo minus tamen colorem in alis ant. fuscum nunquam adeo valere opinor, ut pro primario haberi possit. Ipse duo comparavi specimina in mus. Vindob.

40) POLYACTINELLUS Kollar in lit. *Alis ant. acutis, orichalceo-ciliatis, pallidis, intervallis venarum nitide cinereis postice abruptis, striga postica plumbea, punctis marginis postici ochracei atris 6—7; palpis mediocribus, albidis.* ♀.

Magnitudo *Hortuelli* majoris, alis tamen paulo magis elongatis. Caput album. Palpi maxillares infra lutescentes, supra late albi; labiales thorace paulo breviores, post medium valde attenuati, albi, exterius praeter api-

apicem et basim luteo suffusi. Haustellum majus, albo squamatum. Antennae simplices, lutescentes, articulo basali exterius albo. Thorax (detritus), antice albus, patagiis (totis?) albis. Pedes albi, tarsi flavidi, anticorum femora superius, tibiae inferius in latere adverso lutescunt. Abdomen (pinguedine corruptum). — Alae ant. 5''' longae, oblongae, sensim dilatatae, margine postico vix convexo, apice rectangulo, pallidae, postice magis vitellinae. Intervalla omnium fere venarum colore cinereo nitidulo expleta sunt, sed in ea parte alae, quae supra venam medianam est, color hic magis obsoletus est venasque latiores relinquit; in reliqua alae parte venae valde coarctantur et distinctae fiunt. Post alam mediam striga est obsoletissima, lutescens, in medio angulata. Alae dorsum exalbidum est (fortasse ob squamas detritas). Striga postica plumbea costam versus levi sinu flexa costam non plane assequitur; margo ejus interior colore laetius flavido efficitur, qui in fasciae angustae modum colorem cinereum sistit. Spatium, quod inter strigam et marginem posticum est, colorem laetius ochraceum habet, et puncta in eo atra 6 vel 7 marginalia, inaequalia conspiciuntur. Cilia orichalcea, ad angulum analem albida. — Alae post. canae, exterius magis cinereae, linea marginali latiore flavida. Cilia albida. Subtus alae ant. fumidae, costa et margine postico flavidis. — Patria America fortasse (Koll.) Unum specimen musei Vindob. vidi.

41) DECORELLUS Zcken. *„Alis ant. obtusis, plumbeo-sericeis, strigis (!) longitudinalibus tenuibus pallidis lineisque duabus transversis luteis."*

Chilo — Zincken Germ. Mag. VI, p. 250.

Haec de ipso Zinckenii specimine adnotavi: Proximus *Polyactinello*, palpi thoracis longitudine. Striga prior pone medium, saturate ferruginea, superius arcuata, in plica acute fracta ibique fusco squamata. Striga posterior superne obtusangula, argentea, utrimque ferrugineo marginata, ita ut duas strigas ferrugineas approximatas argenteo expletas dicere possis. Spatium vitellinum, quod ante marginem posticum est, superius colore argenteo in furcam divisum est. — Habitat circa Savannam in civitate Americana Georgia.

42) PLEJADELLUS Zinck. *Major, alis ant. truncatis, aureo-ciliatis, griseo-luteolis, striga media obliterata ferruginea auro notata, venis omnibus posticis tenuiter griseo marginatis, punctis marginis postici flavi atris; post. exalbidis.* ♀.

Chilo — Zincken Germ. Mag. 4, 251.

Multo major *Chrysonuchello*, cujus habitum non admodum imitatur, alarum ant. margine costali convexiore. Caput et thorax griseo-luteola. Antennae ejusdem coloris, simplices, setaceae. Palpi maxillares maximam ad partem albidi; labiales (desunt). Pedes lutescenti-grisei, antici fuscescenti pulverosi. Abdomen crassiusculum ochraceo-cinereum. Alae ant. 6¾''' longae, in basi latiores quam in *Chrysonuchello*, costa convexiore, oblongae, griseo-luteolae. Venae omnes, quae in marginem posticum exeunt, pulvere obscure griseo tenuiter marginatae sunt, unde duplex linearum tenuium grisearum numerus conficitur. In medio alae vestigium strigae exstat ferrugineae exterius valde convexae, quae in cellula discoidali et in plica squamularum auratarum acervulis singulis notatur. Basim versus squamae griseae obsoletae sparsae. Margo posticus angustissime ferrugineus punctis atris 7, quae paribus inter se spatiis distant, valde ornatur. Cilia pallide aurea, metallica. Alae post. exalbidae unicolores, apice acuto. — Subtus alae ant. pallidae in disco late fuscescenti suffusae. Puncta atra marginalia minuta. Cilia pallidissime aurea. Posteriores secundum costam infumatae. — Habitat ad Savannam, Georgiae in America urbem. Specimen, quod descripsi, Zinckenius ipse mihi miserat. Quae Z. de punctis 6—7 bullatis aureis loquitur, fortasse vera sunt, sed non amplius in animali conspiciuntur. Acervulus squamarum, qui in plica jacet, re vera duplex est et squamis fuscescentibus constat, quarum apices auro nitent. In speciminibus integris ornatum hunc aureum et strigam, cui adjectus est, perfectiores esse suspicor.

B, b. **43) RORELLUS Linn.** *Alis ant. latiusculis, orichalceo-ciliatis, stramineis, juxta venas brunneo lineatis, strigis duabus brunneis, altera media, altera postica albido marginata, lineola infra apicem gemina brunnea; capillis ferrugineis, palpis longissimis.*

Phalaena rorella Linn. syst. 1, 2. 886. — Phal. craterella Scop. Fn. 246. — Tin. chrysonuchella H. 43. — Tin. linetella Fabr. Ent. syst. 3, 2, 292. — Crambus lineatus Fabr. Suppl. 470. — Chilo rorellus Tr. 9, 1. 89. — Crambus rorellus HS. p. 58. — Dup. p. 73. tab. 269. fig. 5. — Thisanotia roralis H. Cat. 367. —

Hab. in Europa calidiore. Specimina Sareptana ♂ solito minora sunt, al. ant. paulo acutioribus, colore primario albidiore, posteriorum ciliis fere niveis.

44) CASSENTINIELLUS Mann. *Alis ant. latiusculis, orichalceo-ciliatis, stramineis, juxta venas brunneo lineatis, strigis duabus brunneis, altera media incrassata, altera postica albido marginata; lineola infra apicem brunnea simplici; capillis ferrugineis, palpis longissimis.*

Crambus — Z. Entom. Ztg. 1849, p. 312. — HS p. 59. fig. 173. 174.
Var. b) al. ant. ad strigam priorem usque luteis, deinde usque ad strigam alteram pallidis. ♂ ♀. (mus. Led.) HS. Pyralid. fig. 161. ♂.

Nec semper major et latior *Borello*, nec lineola apicalis perpetuo simplex; itaque Ledercro varietas tantum esse *Borelli* videtur. — Hab. in agri Florentini valle Cassentinia, in Vandalusia, Gallia australi, in Syria, Lycia et Graeciae insulis.

45) CHRYSONUCHELLUS Scop. *Alis ant. orichalceo-ciliatis, pallidis, juxta venas brunnescentibus fuscoque squamatis, strigis duabus brunneis, altera media latiore, altera postica albido marginata; capillis ferrugineis, palpis longis.*

Tinea chrysonuchella Scop. Faun. 246. — Chilo chrysonuchellus Tr. 9, 1. 91. Crambus — HS. p. 58. Dup. p. 75. t. 259. f. 5. — Tinea campella H. 44. — Thisanotia chrysonuchalis H. Cat. 367. — Tinea gramella F. Ent. syst. 3, 2. 300.

Hab. in Europa media tempore verno, inter Crambos primus.

B, c. **46) TERRELLUS Zinck.** *Parvus, capillis et palpis superne niveis, alis ant. elongatis, acutis, margine postico fere recto, pallide ochraceis, fuscescenti-pulverulentis, macula transversa dorsi medii aspera fusca in strigam brunneam producta, striga postica fracta brunnea exterius cinereo marginata, margine postico punctis 7 atris notato, ciliis sordide orichalceis.* ♂.

Chilo teterellus Zck. Germ. Mag. IV, 252. — Cramb. camurellus Clemens Contrib. V. p. 203.

Culmelli magnitudine, alis multo angustioribus, recta fere truncatis, acutis. Squamae asperae facile delentur, itaque multa specimina ceterum integra plerisque carent. Striga posterior supra medium in angulum obtusum frangitur; duplex ea est ita, ut pars ejus exterior plumbea sit, non tamen admodum niteat. Quum ipsum Zinckenii specimen viderim, dubitari non potest, quin eandem speciem ante oculos habeam, quam ille habuit. Quodsi alas obtusas descripsit, hoc ita intelligendum est, ut alas postice truncatas dicamus, quamvis earum apex sit acutus. Nec reliqua ejus verba ullam dubitationem movent. Sed nomen „teterrellus" tam male formatum videtur, ut syllabam „te" vitio typographico irrepsisse et delendam esse censeam. — Habit. in Americae sept. civitatibus Georgia, Ohio, aliis.

47) TERMINELLUS n. sp. *Parvus, alis ant. breviusculis, rectangulis, metallice ciliatis, albis, cinnamomeo pulverulentis, arcu dorsi medio strigaeque posticae non angulatae margine interiore lato cinnamomeo-fuscis.* ♂ ♀.

Statura *Cerusselli*, alis ant. multo latioribus, rectangulis, inter omnes arcu dorsali conspicuus. Caput et thorax albida, cinnamomeo inquinata. Palpi labiales thoracis longitudine, attenuati, exterius cinereo-fuscescentes, margine dorsali niveo, basi infra alba. Antennae fuscescentes, pubescentes, articulo basali in uno latere albo. Pedes in latere adverso fuscescentes, postici lividi. Abdomen dilute ochraceum. Alae ant. $3\frac{1}{3}$—$3\frac{1}{2}'''$ longae, adversus postica dilatatae, margine postico recta fere truncato, apice rectangulo, albae. Costa ex basi late cinnamomeo squamata, sed non usque ad medium, deinde post spatium album strigula obliqua brunnea costalis sequitur. Spatium dorsale ex basi est cinnamomeo nubilum usque ad dorsi trientem, ubi spatio albo dorsali interjecto arcus brunneus distinctus exterius concavus sequitur. Spatia haec alba, alterum dorsale, alterum costale strigae latae albae acute fractae vestigia esse apparet, cujus margo exterior arcu dorsali et strigula costali efficitur, et albus color purior, qui venam medianam sequitur, vittae locum videtur tenere. Striga postica albida distinctissima a margine postico latius distat et recta fere et superius modo nonnihil curvata est; margo ejus exterior anguste, interior late colore fit ex cinnamomeo-fusco, et inde ab eo ad strigulam costalem et arcum dorsalem squamae cinnamomeae sparsae sunt. Spatium inter strigam et marginem posticum intermissum albidum est et in margine ipso punctis atris 6 vel 7 notatum. Cilia tota metallice cinerea. Alae post. cinereae, albido ciliatae. Subtus alae ant. infumatae costa et margine postico pallidis, strigae posticae vestigio conspicuo. Post. dilutiores, apice abruptius pallido. — Hab. in Americae septentr. civitate Ohio (Schläger).

Adnot. *Cr. elegans* Clem. Contrib. V, p. 204 quandam similitudinem videtur cum nostro habere; hic vero praeter alia in alis ant. opacus est et nitore orichalceo plane caret.

C, a, α. **48) TRUNCATELLUS Zttst.** *Alis ant. latiusculis, obtusangulis, cinereis, ad costam late cinnamomeis, ad marginem posticum ochraceis, strigis duabus brunneis, priore crassa media, posteriore sinuato-dentata tenui albo marginata; ciliis nitide cinereis, rarius albo dissectis.* ♂.

Chilo truncatellus Zett. Ins.lapp. 995. — Crambus Lienigiellus Z. Ent. Ztg. 1843, 142. — HS. p. 61, fig. 141.

Hab. in Lapponia, Finlandia, Livonia rarus. Mire Zetterst. alas vocat angustas ciliaque alba nigro intersecta. Bene pictam hanc speciem apud HS habes.

49) TRICHOSTOMUS Christoph. *Alis ant. postice latioribus, nigro-cinereis in disco late albidis, nebula fasciata media nigricante, striga postica alba superius late nigricanti marginata, semel obtuse fracta, ciliis cinereis albo dissectis, palpis breviusculis pilosis.* ♂.

Crambus trichostomus Christoph. Ent. Ztg. 1858, p. 313. — Möschler Wiener Ent. Monatschrift IV, 379. tab. 10. fig. 10.

Hab. in Labradoriae paludosis (Möschler).

50) MACULALIS Zetterst. *Alis ant. obtusiusculis fusco-nigricantibus, litura alba angustiore ante, litura latiore et in medio in maculam puriorem dilatata post medium, striga postica serrata alba superius sinuata, ciliis albo dissectis.*

Scopula maculalis Zttst. Ins. lapp. 971. — Crambus maculalis Wocke Ent. Ztg. 1862 p. 35. — Crambus cacuminellus Z. Bresl. Ent. Zeitschrift 1850. — HS. VI. p. 145.

Hab. in Laponia, in alpibus Rhaeticis, in summo Sudetorum cacumine.

C, a, β. **51) FALSELLUS S. V.** *Alis ant. pallidis, fusco impuris, vitta angusta alba vix ultra medium perducta, inferius unidentata, postice lineas duas fuscas emittente, macula alba obliqua strigae posticae geminatae fuscae adjacente, ciliis nitidulis cinereis albo dissectis; post. cinereis.*

Tinea falsella Wien. Vzchn. 134. Hübn. fig. 30. — Chilo falsellus Tr. 9, 1. 105. Crambus — HS. p. 58. Dup. p. 77. t. 270. fig. 2. — Tinea abruptella Thunbg. Diss. 96. t. 4. fig. 2. — Argyroteuchia falsalis H. Cat. 364.

Hab. in Europa ubique (HS.), imprimis tamen in media.

52) VERELLUS Zcken. *Alis ant. fusco luteoque variegatis, vena mediana pallida, macula alba obliqua strigae posticae geminatae fuscae obsoletae adjacente; ciliis nitidulis cinereis albo dissectis; post. cinereis.*

Chilo verellus Zck. Germ. Mag. 2. 81. — Crambus — HS. p. 58. fig. 137.

Hab. in Germaniae paucis provinciis rarus.

53) INCERTELLUS HS. *Alis ant. brunneis, fusco mixtis, vitta media brevi oblique truncata, macula ejus apici parallela, obliqua, sublunata, striga post maculam bifracta, liturisque duabus costalibus ante apicem niveis; post.* ♂ *canis,* ♀ *albidis.*

Crambus — HS. (Pyral.) fig. 165. VI. p. 144.

Hab. in Armenia prope Elisabethopolim (HS.) — Mire errat HS., quum *Chil. Incertellum* Zinckenii huc referat; est enim ille inter *Prionopteryges.*

54) STAUDINGERI. *Alis ant. acutis, margine postico oblique subrotundato, canis, costa ex basi fusco-grisea, vitta media brevi oblique truncata maculaque apici ejus adjacente fere longitudinali angusta fere ad marginem posticum producta niveis, striga postica nulla; post. albidis* ♂.

Certo praecedentibus affinis, quamquam adspectu differt. Magnitudo *Falselli.* Capilli albi; palpi maxillares brunneo-grisei, superne nivei; labiales thoracis longitudine, graciles, nivei, in latere externo brunneo-grisei, margine inferiore niveo. Antennae fuscescentes, setaceae. Thorax cinereus (videtur), antice albus. Pedes sordide albidi, antici in altero latere brunnei. Abdomen ochraceo-canum. — Alae ant. 4''' longae, elongatae, postice levissime dilatatae, acutae, margine costali fere recto, margine postico obliquo, leviter rotundato, albidae, propter colorem brunneo-cinereum hic illic admixtum canae, spatio inter costam et vittam inde a basi brunneo-cinereo, deinde usque ad apicem albo, litura tantum parva fuscescenti ante apicem interrupto. Vitta media nivea, obliquissime truncata, apice paulo ultra medium producto, inferius dentem exserente, cujus angulus fusco expletus est. Vittae hujus apici macula nivea adjacet, quam linea tenuis brunnea ab eo separat; macula haec elongata est et angusta te tam obliqua, ut fere ngitudinalis sit, et apex ejus non procul a margine postico desinit; superius color brun-

neo-cinereus eam marginat; venae tres inter eam et marginem posticum brunneo-cinereae. Vestigium strigae tenuissimae e costa ante liturulam ad maculae niveae apicem demissae discernitur. Linea marginalis fusca inferius in puncta nigra 3 vel 4 mutata est. Cilia albida; lineae in iis duae; altera basalis brunnea et fere integra, altera terminalis fusco-cinerea superius ter interrupta. — Alae post. exalbidae, ciliis albidis. — Subtus alae ant. canae, litura apicali lineolisque antemarginalibus obsoletis albis; ciliorum strigae duae fuscae distinctius albo interruptae sunt adversus alae apicem ter, adversus angulum analem semel. — Habitat in Hispania media. (Specimen unum in mus. Staudingeri.)

C, b. **55) PAUPERELLUS Tr.** *Alis ant. acutis, breviusculis, fusco-ferrugineis, vitta media flavida opaca, in medio oblique dissecta, apice acuto marginem posticum medium spectante; capillis et thorace ferrugineis.*

Chilo — Tr. 9, 1. 101. HS. fig. 136. p. 63. Dup. p. 94. t. 271. fig. 4.

Hab. in Hungariae inferioris alpibus (Tr.), in montis Jurae summis jugis (Dup.), in Italia et Dalmatia (Tr.). Varietas tantum *Conchelli* esse quibusdam videtur; ego Treitschkii opinionem amplector.

56) CONCHELLUS S.V. *Alis ant. acutis, luteo-ferrugineis, dorso dilutiore, vitta media nivea nitidula, in medio oblique dissecta, apice acuminato marginem posticum medium spectante, ciliis albidis; capillis et thorace medio albis.*

Tinea Conchella Wien. Vzchn. 134. Crambus conchellus HS. p. 63 fig. 1. Chilo Stenziellus Tr. 10, 3. 167. Crambus — Z. Isis 1839. 173.

? Var. *b) Rhombellus* mus. Z. alis ant. brevioribus, vittae parte apicali maculam rhombicam breviorem formante super marginem medium directam.

Hab. in Alpium pratis frequens; in Finlandia (Tengström). *Rhombellum* ex Helvetia accepi.

57) PINETELLUS L. *Minor, alis ant. acutis, luteo-ferrugineis, dorso dilutiore, vitta media nivea nitidula, in medio oblique dissecta, apice acuminato marginem posticum medium spectante; ciliis fuscescentibus nitidis; capillis et thorace medio niveis.*

Phalaena pinetella Linn. syst. 1, 2. 886. Fn. 355. — Chilo pinetellus Tr. 9, 1. 94. Crambus — HS. p. 63. fig. 2. Dup. p. 96. t. 271. f. 3. — Phalaena pinella Clerck t. IV. f. 15. — Phal. virginella Scop. Fn. 246. — Tin. conchella H. 38. — Catoptria pinetalis H. Cat. 365. Crambus pineti Fabr. Suppl. 470.

Hab. in Europa, exceptis partibus frigidissimis. — Hübneri *Conchella*, quoniam cum *Margaritello* vivit, ad *Conchellum* nostrum referri non potest.

58) MYTILELLUS H. *Minor, alis ant. acutis, luteis, vitta media nivea nitidula, post medium oblique dissecta, striga tenui post eam tenuissima alba arcuata, ciliis cinereis nitidis; capillis et thorace medio niveis.*

Tinea mytilella H. 287 (mala, nimis aucta). Chilo mytilellus Tr. 9, 1, 99. Crambus mytilellus Dup. p. 87 t. 271. fig. 3. HS. p. 63. Catoptria mytilalis H. Cat. 365.

Differt a *Pinetello* vittae macula postica obliquius acuminata et striga post eam tenuissima alba distincta ex costa descendente. Hab. in montanis Austriae ad Moedling in pinetis, fortasse etiam in Gallia australi.

59) MYELLUS H. *Alis ant. acutis, luteo-ferrugineis, vitta media nivea nitida fusco bis dissecta, parte tertia lineari, ciliis cinereis obsolete dissectis; capillis et thorace medio niveis.*

Tinea Myella H. 37. Crambus myellus HS. p. 64. Chilo conchellus Tr. 9, 1. 97. — Dup. p. 91. tab. 271. fig. 5, b. Tinea pinetella Scop. Fn. 224. Knoch Beitr. 1. tab. 4, fig. 5. Catoptria conchalis H. Cat. 365. Bomb. pineti Esp. Suppl. p. 54. tab. 89. fig. 4, 5.

Var. b) prima et secunda vittae parte solito latius separata. Cr. Hercyniae Heinemann.

Hab. in Europae mediae montanis; etiam in Livonia (Lienig), Finlandia (Tengstr.) et in Lapponia (HS.)

Variet. b) ipse vidi, et Heinemann se non dubitare scribit, quin suus Crambus ad *Myellum* pertineat, quum transitus in sylva Hercynia invenerit.

60) SPECULALIS H. *Major, alis ant. acutis, luteo-fuscescentibus, vitta media nivea nitidula fusco bis dissecta, parte tertia strigam formante, litura costae ante apicem pallida; ciliis fuscis albo dissectis; capillis et thorace medio niveis.*

Tinea pinetella H. 36. Catoptria specularis H. Cat. 365. Crambus — HS. p. 64. fig. 87. Crambus speculellus Dup. Cat. 317. Cr. conchellus Dup. tab. 217. f. 5, a. Chilo myellus Zek. Germ. Mag. 2, 76.

Hab. in Alpibus Austriae (HS.) et Rhaetiae, ex qua specimina duo mea missa sunt. Dorsum al. ant. ex basi ultra medium angustissime album, in alae medio fusco interruptum.

61) CATOPTRELLUS Wocke in lit. *Major, alis ant. acutis, luteo-fuscescentibus, vitta media nivea fusco bis dissecta, parte secunda maculam ovalem, tertia strigam a margine remotiorem formante, litura costae ante apicem pallida, ciliis fuscis albo dissectis; capillis et thorace medio niveis.* ♂.

Proximus *Speculali* ejusque magnitudine et forma. Palpi superne nivei, exterius luteo-brunnei, basi infra non alba. Patagia dilute brunnea. Alae ant. 6''' longae, oblongae, postice sensim dilatatae, acutae, margine postico leviter convexo, luteo-fuscescentes, circa vittae partem posteriorem obscuratae. Vitta nivea vix nitidula, in tres partes late dissecta; pars prima postice minus dilatata, sed aeque oblique acuminata quam in *Speculali*, secunda multo minor quam in illo, elongato-ovalis, obliqua, postice acuminata, tertia strigam format eodem modo arcuatam, sed duplici spatio a margine postico distantem et postice late fusco marginatam. Dorsum ex basi fere usque ad medium angustissime niveum. Costae litura pallida parva ante alae apicem. Punctula nigra marginem posticum sequuntur. Cilia obscure cinerea, supra medium lineolis niveis tribus, infra medium una dissecta. — Alae post. fuscescenti-cinereae, postice leviter obscuratae, cilia dilute cinerea. — Subtus alae ant. obscure cinereae, margine paulo dilutiore, costa postice pallida; ciliorum pictura obsoletior. Posteriores dilutius cinereae quam supra. — Propter spatium latius strigae niveae et margini postico interjectum cum *Cr. Speculali* non videtur conjungi posse. — Hab. in monte Glockner, a Mannio captus 27 d. m. Julii (Mus. Wocke.)

62) PERMUTATELLUS (Mann.) HS. *Alis ant. acutis, cinnamomeis, vitta media nivea opaca, oblique bis angustissime dissecta, parte media postice valde elongata, parte tertia obliquissima lineari, margine postico obsolete nigro punctato, ciliis albo dissectis; capillis et thorace cinnamomeis. (♂.)*

Crambus — HS. p. 64 fig. 86.

Hab. in Austriae prato alpino Waxrigel mensis Julii exitu (Mann.) — Male in figura vittae color nitet, quum alae prorsus opacae sint ciliis exceptis; etiam color primarius magis cinnamomeus luteusve est quam qualem HS. pinxit. Costae liturula pallida ante apicem exstat.

63) LUCTIFERELLUS H. *Alis ant. acutis, fuscis, vitta media nivea nitida bis dissecta, parte apicali lineari, litura costae ante apicem alba, dorso interrupte albo, ciliis albo dissectis; capillis ac thorace medio albis vel fuscis.*

Var. *b)* parte vittae tertia in strigam integram producta. Tinea luctiferella H. 324. Chilo luctiferellus Tr. 9, 1. 100, Crambus — Dup. pag. 89, t. 260 fig. 4. — HS. p. 64 fig. 21.

Var. *c) Heeriellus* Heyden in lit. alis ant. albis, strigis duabus angulatis, margine postico angusto vittisque duabus ex basi usque ad strigam priorem fuscis; post. obscure cinereis in medio albidis, striga ante marginem albida obsoleta; capillis et thorace medio albis. (♀ mus. Heyden)

Var. *d)* al. ant. vitta media late dissecta, macula media angusta obliqua, parte tertia in strigam integram flexuosam continuata; post. obscuris unicoloribus; capillis et thorace fuscis. (♂ mus. Heyden.)

Hab. in Alpibus Carnioliae (Tr.), Carinthiae, Norici (Led.), Helvetiae prope nivem perpetuam (Heyden). HS. se errasse dicit, quum suum *Luctiferellum* cum Hübneri *Luctiferella* conjungeret, et nomen suo statuit *Luctuellum* (VI. p. 145); at male facit et nunc errat.

64) MARGARITELLUS H. *Alis ant. acutis, luteo-ferrugineis, vitta media nivea nitida, postice dilatata et acuminata, prope ad marginem posticum perducta, ciliis unicoloribus; capillis et thorace medio niveis.*

Tin. margaritella H. 39. Chilo margaritellus Tr. 9, 1. 102. Crambus — HS. p. 62. — Dup. 102 t. 272 f. 4. Catoptria cumargaritalis H. Cat. 365.

Var. *b)* Alis ant. luteo-fuscescentibus (in Anglia non rara).

Hab. in Europae mediae planae et montanae paludosis (Zincken), in pinetorum muscosis siccis non rarum ipse cepi; in Finlandia cum habitare Tengstr. testatur. — Varietas Anglica tam singularis est, ut pro specie distincta habuerim; Stainton (Manual 2. p. 183) eam non distinguit.

65) PYRAMIDELLUS Tr. *Major, alis ant. acutis, fusco-luteis, vitta media nivaa nitidula postice dilatata et acuminata, prope ad marginem posticum perducta, ciliis obscuris albo dissectis; capillis et thor. med. niveis.*

Chilo — Tr. 9, 1, 102. Crambus — HS. p. 64. fig. 5. Phalaena margaritella Wien. Vzchn. p. 134. Tinea margaritella F. Ent. syst. 3, 2. 295. Crambus margaritaceus F. Suppl. p. 470. ? Cr. Adamantellus Gn. Cat. 89.

Hab. in Alpibus Noricis rarior; in Burgundia (Guen.)

66) FULGIDELLUS Hbn. *Major, alis ant. elongatis, obtusis, cinnamomeis, vitta media nivea nitidula marginem dentibus duobus attingente, postice inferius dentata, dorso lineaque ante angulum analem albis; ciliis cinereis albo dissectis; post. albidis; antennis ♂ serrulatis.*

Tin. fulgidella H. 365. 366. Chilo fulgidellus Tr. 9, 1. 109. Crambus HS. p, 65. — Dup. p. 98. tab. 272. fig. 2. Eucarphia fulgidalis H. Cat. 364.

Hab. in Germaniae frigidioris arenosis siccissimis pinetorum; in Alpibus eum inveniri Guenens perperam existimat. Sed in Castilia Staudinger specimina a nostris nihil diversa detexit.

67) LATISTRIUS Haw. *Major, alis ant. elongatis, acutis, brunneo-luteis, nitidulis, vitta media integra, postice nonnihil dilatata, per cilia nitide cinerea continuata in iisque bifida, punctulis marginis postici atris 6—7; post. cinereis; antennis ♂ sub apicem obsolete crenatis.*

Crambus latistrius Steph. Illustr. IV, 325. — Curtis Brit. Ent. III, 109. — HS. p. 65. fig. 191. — Stainton Manual 2, 184. Cat. Tin. 2, 13. Crambus Gueneellus Dup. p. 288. pl. 283. fig. 7.

A *Fulgidello* differt vitta in cilia usque producta, dentes late discretos infra non exserente, alis post. obscuris, antennis ♂ non serratis etc.; ab *Apicello* conulo albido marginis postici infra apicem et litura costali nulli.; a *Sublicello* vitta superius dente medio non instructa, postice non contracta; a *Monotaeniello* statura majore, alis ant. dilutioribus, vitta in ciliis bifida. Magnitudo *Fulgidelli.* Caput album. Palpi maxillares albidi, exterius brunneo conspersi; labiales thoracis longitudine, attenuati, albidi, subtus ad basim nivei, exterius griseo-brunnei. Haustellum in basi albidum. Antennae fuscescentes, in dorso albidae, apicem versus subannulatae, ♂ sub apicem obsoletissime crenulatae, ♀ filiformes, tenues. Thorax albidus, collaris latera et scapulae griseo-ochraceae. Pedes antici et postici griseo-fuscescentes, postici albido-grisei. Abdomen lividum, barba anali ♂ ochracea. — Alae ant. 5½—6‴ longae, angustae, postice modice dilatatae, margine postico subconvexo, apice acuto, ex brunneo luteae, inferius paulo dilutiores, in costa ante apicem late pallidae. Vitta media modice lata, basim versus angustior, nivea, margine superiore integro anguste fusco, in cilia oblique intrat et in iis lineolam griseam longitudinalem includit. Margo posticus punctulis atris 6—7 pictus. Margo dorsalis prope basim anguste albidus. Cilia obscure cinerea, metallice nitidula. — Alae post. cinerascentes, antice late obscuriores, ad marginem posticum ipsum pallidae; cilia albida. — Subtus alae ant. infumatae, juxta costam lutescentes, vitta media obsolete pellucente. Posteriores in costa infumatae, linea marginis postici tenuissima fuscescenti. — Femina a mare recedit alis angustioribus et laetius coloratis, posterioribus magis exalbidis. — Hab. in Gallia ad Castellodunum (Dup.) et in Anglia rarior (Stainton). Marem et feminam ex museo Staintonanio descripsi.

68) APICELLUS. *Alis ant. acutis, luteis, superius brunneis, vitta media nivea postice subcoarctata ad marginem posticum perducta, litura costae postica conuloque marginis postici infra apicem pallidis; palpis exterius brunneis, apice nigro; antennis simplicibus.* ♂.

Cr. *latistrio* affinis, palporum colore, al. ant. litura costali et conulo marginali etc. distinctus. Caput niveum, pone oculos ochraceum. Palpi maxillares nivei, stipite luteo; labiales thoracis longitudine, articulo tertio longo, tenui, nivei, exterius brunneo-lutei, apice late nigro. Antennae compressae, sub apicem vix crenatae, brunneae, in dorso pallidae, articuli basalis dorso albo. Haustellum albido-squamatum. Collare ochraceum, in medio niveum. Thoracis dorsum album, patagia ochracea. Pedes antici brunnei, postici pallide lividi sicut abdomen. Alae ant. 5¾ lin. longae, postice aequaliter subdilatatae, acutae, luteae, inter vittam et costam fuscescentes. Vitta media nivea, fere linearis, postice levissime angustata, ad marginem posticum usque perducta, margine infero medio nonnihil inaequalis, ita ut quasi tuberculum promineat. Litura costalis pallida ex medio alae ad apicem fere producta elongato-ovalis. Margini postico inter alae apicem et vittae finem triangulum pallidum adjacet. Margo dorsalis vittae instar ex basi ultra medium pallet. Puncta 5—6 atra minuta marginis postici. (Cilia, quae fortasse non sunt unicolora, detrita sunt.) — Alae post. cinereae, circa marginem posticum, praecipue in apice obscuriores. Cilia diluta. — Subtus alae ant. infumatae, ante marginem posticum pallidae. Posteriores pallidae, in apice juxta costam latissime infumatae. — Hab. in Nova Seelandia. (mus. Saunders.)

69) SUBLICELLUS. *Alis ant. acutis, fuscescenti-luteis, vitta media nivea postice subcoarctata, ad marginem posticum perducta in margine supero medio tuberculata, ciliis albo dissectis; antennis ♂ crenulatis; palpis exterius cinnamomeis.* ♂.

Differt a *Latistrio* et *Apicello* antennis distincte crenatis, palporum apice non nigro etc., a *Vectigero* vitta tuberculata ciliisque albo-dissectis etc. Paulo iis minor. Caput canum, in vertice albidum, pone oculos luteum. Palpi maxillares albi stipite cinnamomeo; labiales thoracis longitudine, sensim attenuati, ex brunneo cinnamomei, intus et in margine infero dimidio usque ad basim albi. Antennae fuscescentes, basi simplici, deinde distincte crenatae, articuli basalis dorso albido. Collare luteum, in medio albidum. Thorax (albidus?), patagia lutea. Pedes antici brunnei (reliqui desunt sicut abdomen). Alae ant. $5\frac{1}{4}$ lin. longae, fuscescenti-luteae, in dorso paulo dilutiores. Vitta nivea sublinearis usque ad marginem posticum perducta, margine supero recto, sed pone medium denticulum obtusissimum ferente, margine infero minus distincte ex colore alae generali enitente. Costae dimidium posterius fere in lineae modum albidum. Infra vittae finem margini postico puncta nigra quatuor addita sunt; supra vittam lineola albida angusta marginem posticum sequitur. Cilia grisea, albido hic illic dissecta. — Alae post. lividae, margine postico anguste fuscescente; cilia pallida. Subtus alae ant. infumatae, costa postice angustissime lutescente; post. lividae linea marginali tenui flavida. — Hab. in Nova Seelandia. (mus. Saunders.)

70) BISECTELLUS. *Palpis tenuibus luteis, intus albis, basi subtus nivea; alis ant. acuminatis, brunneis, vitta media nivea in margine postico dilatata, postice cinnamomeo anguste bis secta, ciliis superius alternatis.* ♂.

Affinis *Cr. incrassatello* differt alarum costa minus late dilutiore, vitta media pone medium bis interrupta. Magis distat ab *Apicello*; nam praeter easdem notas alarum apex multo magis productus et acutior est et margo posticus punctis notatus, nec palporum apex colore nigro insignis est. — Magnitudo inferior quam *Incrassatelli*. Caput sordide albidum, pone oculos lutescens. Antennae compressae adversus apicem distincte crenatae, fuscae, dorso hic illic cano. Palpi maxillares superne nivei, ceterum lutei; labiales thoracis longitudine, tenues, sub apicem leviter attenuati, exterius luteo-brunnei, interius albi, postice sordidi; articuli primi squamae, ut collum et pectoris pars superior, niveae. Thorax dilute brunneus, collari pallidiore. Pedes lutescenti-grisei, antici intus albi, in parte adversa fuscescentes. Abdomen ochraceo-griseum, barba anali lutescente. — Alae ant. $5\frac{1}{2}'''$ longae, sensim dilatatae, apice acuminato et acuto, brunneae, costam versus obscuriores. Vitta nivea angusta ex basi ad marginem usque posticum extenditur et in eo fere ad apicem alae propagatur; post medium antice denticulum obtusum exserit utroque latere fusco marginatum; pone hunc strigula cinnamomea eam oblique secat; idem fit in medio reliquae partis, ubi striga cinnamomea ex dorso orta cursu margini postico parallelo eam dissecat; quae pars vittae inclusa est inter lineolas transversas, antice fusco colore anguste marginatur. Costae prope apicem spatium angustum pulvere albo, maculae obsoletae instar, conspersum est. Marginem posticum linea format tenuissima, fusca, inferius in puncta tria nigra dissoluta. Cilia nitida cinerea, apicem versus tenuiter albo alternata. — Alae post. lividae, in apice vix obscuratae; cilia paulo dilutiora. — Subtus al. ant. fuscescunt; cilia fusco-cinerea lineam basalem pallidam tenuissimam habent juxta lineam marginalem fuscam; alae post. paulo magis dilutae quam supra, juxta costam et in apice distinctius obscuratae sunt. — Patria Nova Seelandia. Specimen ♂ unicum bene conservatum mus. Saundersii descripsi.

71) INCRASSATELLUS. *Palpis albis, exterius luteis; alis ant. valde acuminatis, antice brunneis, ceterum pallidis, fusco sparsis, vitta media nivea sensim dilatata post medium superius unidentata, serie punctorum fuscescentium transversa postica, ciliis vix alternatis.* ♀.

Primo adspectu alter *Cr. bisectelli* sexus videtur; alis enim anterioribus eadem forma est, nisi quod acutiores sunt ut in sexu feminino, nec colores et picturae dissimiles. Sed vitta alarum ant., praeterquam quod costae propior est, semel tantum secatur idque propius ad marginem posticum; costa quoque apicem versus late pallescit, et palpi superne et intus niveo colore ornati sunt. Paulo minor *Bisectello*. Caput album, fere niveum, pone oculos luteolum. Palpi maxillares exterius lutei, intus et superne anguste nivei: labiales thoracis longitudine, tenues, attenuati, nivei, exterius laete lutei, apicem versus infuscati. Haustellum longum ad basim albido squamatum. Antennae tenues, setaceae, fuscae, articulo basali albo. Collare ochraceum, in medio niveum. Thorax niveus, scapulis ochraceis, exterius anguste, sed non abrupte albis. Pedes antici exterius lutei, interius albi; medii lutescentes, postici valde diluti. Abdomen ochraceo-griseum. — Alae ant. $5'''$ longae, acutae, postice vix dilatatae, apice acuminato, costa convexiuscula, brunneae, dimidio basali pallido. Vitta nivea adversus marginem posticum sensim incrassatur et in margine postico ad apicem fere extenditur; ea utrimque, praecipue antice, colore obscuro brunneo marginatur, qui color in fuscum mutatur ante et post denticulum obtusum, qui antice in venae transversae regione prominet. Series striolarum fuscarum quinque non procul a margine postico ex dorso transit, cursu mar-

gini postico parallelo, et duae quidem ex his striolis in vitta ipsa collocatae sunt, una in ejus margine inferiore. Marginis postici linea fusca tenuis punctis septem efficitur, quae apicem versus minora fiunt. Costa ante apicem latius pallet. Cilia cinerea, in basi latius albida, exterius obsoletissime alternata. — Alae post. lividae, apice vix infuscato; cilia pallidiora. — Subtus alae ant. fuscae, margine postico, linea disci medii lineaque costali pallidis. — Patria Nova Seelandia. Specimen unicum ♀ optimum in museo Saundersii.

72) VECTIFER. *Capillis et thorace antice niveis, palpis exterius cinereis fuscoque irroratis, alis ant. elongatis, subacutis, brunneis, vitta media subaequali ante marginem posticum tenuiter dissecta, in cilia non excunte, ciliis cinereis nitidis; post. dilute cinereis.* ♂.

Simillimus *Bisectello*, sed alas non acuminatas et vittam semel tantum dissectam habet. A *Monotaeniello* eo differt, quod vitta, praeterquam quod dissecta est, non in cilia propagatur; a *Sublicello* vitta superne non dentata ciliisque non tessulatis. Capilli nivei, palpi vix thoracis longitudine, attenuati, exterius cinerei fuscoque irrorati, basi subtus alba. Antennae setaceae vix crenatae. Thorax antice in medio albus, ceteroquin luteo-cinereus. Pedes in latere averso albi, in adverso fusco-cinerei, posteriorum tibiae tarsique grisei. Abdomen lividum, in basi albidum. — Alae ant. 5—5½'' longae, elongatae, postice paulatim dilatatae, modice acutae, margine postico rotundato, obscure brunneae. Vitta media satis angusta, nivea usque ad marginem posticum ipsum pergit, cumque supra medium attingit. Margo ejus superior rectus et anguste fusco-marginatus, inferior minus aequalis. Saltem partis apicalis forma non constat; nam in uno specimine ante marginem nonnihil coarctata est. Non procul a margine linea brunnea angusta (in illo specimine in puncta soluta) oblique eam dissecat et cursu ita mutato, ut angulum acutum efficiat, ad costam adscendit. Punctula nigra marginem posticum comitantur. Cilia nitida, cinerea, in basi ad vittae terminum punctula tria nivea aegre conspicua continent. — Alae post. dilute cinereae, adversus apicem nonnihil obscuratae; cilia cano-albida. — Subtus alae ant. fusco-cinereae, parte dorsali dilutiore, costa postice anguste ochracea; post. dilutiores etiam quam supra. — Habitat in Sicilia prope Panormum (Staudinger), in Dalmatiae insula Pharo (nunc Lesina) mense Augusto (Wocke).

73) MONOTAENIELLUS HS. *Capite et thorace antice albis, palpis albis, exterius fuscis; alis ant. elongatis, apice subobtuso, brunneis, vitta media nivea postice subcoarctata et fusco marginata, in cilia excunte, ciliis cinereis submetallicis.* (♂ ♀).

Crambus — HS. (Pyr.) fig. 162. ♀ VI. p. 145.

Vitta nivea non nitida ex basi ad medium paulatim increscit, deinde paulo angustior fit et ad ciliorum usque terminum pergit. Margo ejus superior postice late, inferior angustissime nigro-fuscus. Puncta marginis postici parva nigra. — Alae post. fusco-cinereae, postice sensim obscuriores. — Hab. in Bithyniae monte Olympo ad Brussam (Led., Wocke).

74) HALTERELLUS Kollar in lit. *Alis ant. laete brunneis, costa lineae instar anguste alba, vitta media lata, nivea, nitidissima, fusco marginata, in apicem alae coarctata; posteriorum ♂ basi penicillo longo brunneo instructa.* (♂ ♀.)

Ab antecedentibus vittae forma rostrata et integritate recedit; penicillo masculo quam maxime insignis. — Caput et thorax laete brunnea. Palpi labiales thorace breviores, acuminati, subtus pallide marginati, basi albida. Antennae compressae, brunneae, dorso albido-punctato, articuli basalis latere anteriore albo. Margo oculi superior anguste niveus. Patagii margo exterior anguste niveus. Pedes pallidi, anteriores quatuor in parte adversa brunnescentes, quemadmodum tibiarum posticarum margo inferior et tarsi. Abdomen pallidum, barba anali magis flavida. — Alae ant. 6''' longae, subelongatae, margine postico recto vix obliquo, apice acuto, sed non producto. Color laete brunneus. Costa alba nitida lineae instar tenuis postice dilatatae, ante alae apicem acuminatae ibique paullatim infuscatae. Vitta media nitide nivea latior quam spatium inter ipsam et lineam costalem interpositum, latitudine aequali ad marginem posticum fere pergit, deinde subito rostrum emittit superius in ipsum alae apicem coarctatum. Margo hujus vittae ubique, parte rostrata excepta, anguste fuscus est. Cilia alis dilutiora nitida. — Alae post. maris lividae, feminae canae, circa angulum anticum (in mare latius) infuscatae. Prope basim penicillus brunneus, tenuis, thoracis longitudinem aequans in funda, quae ad venam subcostalem est, latet, qui si protractus est, halteris speciem praebet. Hoc penicillo femina caret. — Subtus alae ant. fusco-cinereae, ad marginem

anguste pallidae. Posteriores lividae, costa latissime fuscescente. — Patria Nova Hollandia (Kollar). Specimina duo musei Vindobonensis vidi, quorum alterum volatu plerosque penicillorum pilos amiserat. Feminam Wocke novo nomine accepit, patria Italia adscripta!

75) TRIVITTATUS. *Palpis longis, alis ant. acutis, luteo-ochraceis, vittis tribus angustis niveis nitidis, prima ex costa non procul a basi descendente et in alae apicem subito fracta, secunda media attenuata marginem posticum attingente, tertia subdorsali.* ♂ ♀.

Propter palpos longos minus apte hic inseritur, sed vittae apex similiter rostratus et eodem directus locum ab *Halterello* removeri vetat. Differt haec species a *Birittello* alis ant. luteolis, in apice non miniatis, vitta secunda non sursum flexa, sed margini postico insistente etc. — Caput ochraceum, margine oculorum superiore albo. Palpi maxillares ochracei, superne albidi; labiales thoracis fere longitudine, tenues, acutissimi, ex cinereo ochracei, margine inferiore albo, basi nivea. Antennae (♂ desunt), in ♀ dorso albidae, articulo basali niveo. Thorax niveo bivittatus, vittis ♀ latioribus et postice dilatatis. Pedes antici in latere adverso ex cinereo ochracei, postici albidi. Abdomen ♂ albidum, ♀ lividum. — Alae ant. ♂ 6''', ♀ 8''' longae, latae, subacuminatae, margine postico subobliquo, convexiusculo, luteo-ochraceae, costa ipsa a medio ad apicem usque anguste alba. Vittae niveae nitidae tres. Prima prope basim oritur, ubi costam in ♀ tantum attingit, paulatim magis demittitur, ante marginem posticum subito in rostrum contrahitur erectum, cujus apex in alae apicem exit. Secunda vitta spatio inter ipsam et primam intermisso fere angustior est, decursu fere recto post medium crassior fit, deinde attenuatur et apice acuminato marginem posticum tangit. Vitta tertia ex dorsi basi procedit, deinde infra venam subdorsalem decurrit et in angulum analem exit, postquam cum venae subdorsalis parte posteriore alba conjuncta est; hujus vittae color minus est nitidus, quum margine fusco, quem vittae duae priores distinctum habent, careat. Margo dorsalis anguste lutescit. Linea marginis postici fusca tenuis. Cilia in basi nivea linea lata fuscescenti dissecantur, postremo fuscescunt. — Alae post. ♂ obscure griseae, ♀ canae, postice cinerascentes. Cilia ♂ cana, ♀ alba. — Subtus alae ant. ex fusco cinereae in apice striolam obsoletam albidam continent; post. lividae, juxta costam et in angulo antico cinereo suffusae. ♀ alas ant. canas habet, in medio cinereas, costam postice latius pallidam; posteriores albidas, costa late pallida. — Patria Nova Hollandia circa Sidney (Kollar) et Adelaide (mus. Berol.) Descripsi ♂ musei Vindobonensis male conservatum, ♀ meliorem musei mei.

76) BIVITTELLUS Donovan. *Palpis longis, alis ant. acutis croceis postice miniatis, vittis tribus niveis nitidis, prima ex costa longius a basi descendente et in alae apicem flexa, secunda media ante marginem posticum sursum acuminata, tertia subdorsali.* ♂.

Tinea bivittella Donovan . . . . . . (secund. Erichson).

A *Trivittato* differt magnitudine majore, alis ant. laete coloratis, vittae mediae apice sursum arcuato, non recta marginem petente etc. — Caput croceo-ochraceum, margine oculorum superiore albo. Palpi maxillares ochracei, apice pallidiore; labiales thoracis fere longitudine, tenues, acutissimi, croceo-ochracei, exterius cinnamomei, basi tantum infra albida. Antennae ♂ fuscae, compressae, longius dentatae, fasciculato-ciliatae. Thorax croceo-ochraceus, vittis duabus subnitidis niveis, postice acuminatis. Pedes grisei, antici in latere adverso infuscati; abdomen lividum. — Alae ant. 7''' longae, latae, subacuminatae, margine postico subobliquo, leviter convexo, croceo-ochraceae, sub apicem in colorem miniatum mutatae. Costa lineam tenuissimam albam fert post medium incipientem et ante alae apicem colore fusco absconditam. Vittae niveae nitidissimae tres. Prima ex costa, longius a basi quam in *Trivittato*, descendit ab eaque paulatim magis recedit, latitudine sensim aucta, apice sursum arcuato et rostri instar in alae apicem emisso. Secunda e media basi oritur, latitudine ubique fere eadem, apice et ipso sursum arcuato ad marginem posticum evanescente. Utraque vitta nigro colore anguste marginata est. Tertia multo angustior est et dorso vicina et recta et in angulum analem desinit. Margo alae dorsalis infra hanc vittam luteo-brunneus. Cilia nivea, inferius grisea linea marginali nigricanti ab alis sejunguntur. — Alae post. livido-griseae, antice magis lividae. Cilia canescunt. — Subtus alae ex fuscescenti griseae, anteriores magis obscuratae. — Patria Nova Hollandia. Unum marem descripsi satis bene conservatum.

77) RADIELLUS Hübn. *Alis ant. virescenti-fuscis nitidulis, vitta media nivea tenui, postice ampliata, inferius dentata, marginem posticum vix attingente, linea tenuissima alba in plicae parte postica, ciliis canis vel cinereis superius albido punctatis; post. cinereis, albo-ciliatis, linea in medio albida obsoleta.* ♂ ♁.

Tinea radiella H. 325. Chilo radiellus Zinck. in Germ. Mag. II, 83. Tr. IX, 1. 108. Crambus — Dup. Hist. X. p. 100. tab. 272 fig. 1. Catal. p. 90. — Zeller Isis 1839, 174. — HS. Pyr. p. 65. Eucarphia radialis H. Cat. 364.

Simillimus sequenti, sed differt alis ant. angustioribus, virescentibus, magis nitidis, vitta latiore longiusque ad marginem posticum pertinente, linea alba plicali, lineaque in posterioribus media albida, quarum utraque *Furcatellus* caret. — Habitat in Alpium pratis, in Helvetia, Carinthia mense Julio; frequentior locis siccis, denudatis, quam herbidis, calidioribus, quamquam vel ibi cum *Cr. dumetello* volat.

78) FURCATELLUS Zttst. *Alis ant. brunneis, vitta media nivea, tenui, postice nonnihil ampliata, inferius dentata, longius a margine postico desinente, ciliis unicoloribus, ♂ obscure cinereis, ♀ canis; post. ♂ obscure cinereis, ♀ dilutioribus albidoque ciliatis.* ♂ ♀.

Chilo furcatellus Zttst. Ins. lapp. 995. Crambus — Stainton Manual 2, 183. Crambus radiellus Curt. Brit. Ent. III, 109. — Steph. Cat. 7480 — Illustr. Haust. IV. 324. — HS. Tin. fig. 4. Radiolellus Pyral. p. 62. — Ledereriellus Mann in lit. — Lapponicellus Dup. Cat. 317. — Guenée Cat. 88.

Hab. in summis Alpibus (Gross-Glockner: Mann) (Fetschgletscher in Helvetia: Heyden), in Angliae provincia Cumbria, in montibus Snowdon et Skiddaw (Stainton), in Lapponia alpina (Boheman).

Adnot. Zetterst. alas ant. *fusco-cinereas* male dicit. HS. alas nimis angustas et colore primario *Radielli* tinctas pinxit.

C, c. **79) ACUTANGULELLUS HS.** *Alis ant. oblongis, obtusis, margine postico subrotundato, cretaceis, strigis duabus brunneo-cinereis, altera media fracta et in medio nigro notata, altera postica arcuata, exterius albo marginata, margine postico nigro punctato, ciliis obsolete tessulatis; post. canis, albo ciliatis.* (♂ ♀).

Crambus acutangulellus HS. Pyr. p. 61 (Tin.) fig. 15. 16 (♂).

Hab. in Dalmatia per mensem Julium (Mann.), in Croatia ad locum Obbrovazzo (Led.). — Series punctorum 7—8 nigrorum maxime conspicua in margine postico; puncta singula interius albo notata, inter se colore brunneo-grisco distincta. Cilia grisea, metallice nitida, in basi obscuriora; in medio linea alba secantur, ac praeterea superius ter, inferius semel colore albo anguste interrumpuntur. Hanc ciliorum et marginis rationem HS. figura non bene expressit, nec in posteriore animalis sedentis ala lituram fuscescentem satis a margine postico removit.

80) FASCELINELLUS H. *Alis ant. subelongatis, subobtusis (♀ acutis), margine postico rotundato, pallide cinereis, pallidius venosis, adversus dorsum squamis majusculis fuscis adspersis, strigis duabus obliquis repandis brunneis fusco-squamosis opposite albido marginatis, margine postico anguste flavido, ciliis tessulatis; post. cinereis.*

Chilo fascelinellus Zinck. Germ. Mag. 2, 102. Tr. 9, 1. p. 111. 10, 3. p. 169. Crambus — Dup. X, 122 t. 273. f. 3. (mala) Cat. 318. — HS. Pyr. p. 61. — Boheman Resa i Södra-Sverige 1851, p. 139. Crambus aridellus Z. Isis 1839, 174. — ? Tinea aridella Thunberg diss. p. 96. t. 4. f. 1. Pediasia fascelinalis H. Cat. 365. *Tinea Treitschkeella Bullet. de Mosc. 1830. II. 76. t. 1. fig. 9.

Simillimus *Festivello*, *Ramosello* et *Jucundello*, ab omnibus distingui posse eo videtur, quod in alis ant. puncta nigra ante marginem posticum in spatio angusto pallide vitellino habet, quod spatium strigam latiusculam format a colore praecedenti fusco-cinereo satis recedentem. Praeterea cilia in basi infra medium nitidula quidem sunt, sed non eo nitore metallico, quo *Ramosellus* insignitur. Atque omnes hac species *Fascelinellum* niveo in alarum post. ciliis colore vincunt. — Hab. in Europa media et frigidioris parte, in siccissimis arenosis ab initio Junii mensis ad medium Augustum minime rarus. Etiam ad Sareptam cepit Christoph nostris simillimum.

Adnot. Thunbergii descriptio manca, figura pessima, quae tamen propter alas postice nequamquam dilatatas magis in hunc quam in *Spuriellum* quadret. Feminas in insula Gottlandia captas a Dahlbomio accepi, a nostris nulla re nisi magnitudine minore et colore magis cinereo distinctas. In Scania collegit Boheman.

81) RAMOSELLUS. *Alis ant. subelongatis, postice sensim dilatatis, acutis, margine postico leviter rotundato, cinereis, fusco pulverulentis, albido venosis, strigis duabus obliquis fuscis, posteriore serrata, superius acuta fracta, exterius albo latius marginata, ciliorum basi infra medium metallica; post. canis niveo ciliatis.*

Var. b) ♀ al. ant. striga posteriore non serrata, utrimque abrupta. (Sarepta).

Differt a *Fascelinello* in alis ant. spatio ante marginem posticum flavo nullo, striga posteriore argute serrata saltem in mare, ciliorum linea basali infra medium metallice fere nitida, alis post. canis niveo-ciliatis — ab *Jucundello* et *Festivello* statura minore, alis ant. acutioribus, in mare magis dilatatis, striga posteriore serrata et ciliorum

basi nitente. — Femina mare minor, alis ant. multo minus dilatatis, apice acutiore, strigae post. margine minus late albo, ciliorum nitore in spatium angustius coacto et distinctiore; alis post. fere albis. — Strigae posterioris locus nunc propius, nunc longius a margine postico distat, sed quum propior quam in *Festivello* sit, tum propior etiam videtur, si margo albus latior est. In ciliis lineolae albae tres supra medium, una propius ad angulum analem. — Hab. in montibus Uralensibus ad Orenburgum. (Led.) — ad Sareptam (Wocke.) Varietatem b Christoph ad Sareptam cepit.

82) FESTIVELLUS HS. *Alis ant. subelongatis postice leviter dilatatis, apice obtuso, margine postico leviter rotundato, griseis, ad basim fusco pulverulentis, venis paucis albidis, strigis duabus fuscis opposite albo marginatis, posteriore superius acute fracta, ciliis totis tessulatis; post. canis, niveo-ciliatis. (♂). — ♀ alis ant. coarctatis, acutissimis, costa ante apicem impressa (HS. fig.)*

Crambus — HS. Pyr. pag. 62. Tin. fig. 19. ♂ 20 ♀.

Major *Fascelinello*, alarum forma in mare fere eadem, in fem. valde diversa, differt ab eo striga posteriore acute fracta, margine postico non flavo, ciliis totis tessulatis, alis post. ex basi albida paulatim canis, niveo-ciliatis. A *Ramosello* facile distinguitur striga posteriore nec serrata et a margine postico longius remota, et ciliis totis tessulatis et nitore carentibus. Feminae quoque alarum forma prorsus alia. — *Jucundello* tam similis est, ut pro varietatibus ejusdem speciei eos haberem, nisi feminarum formae repugnare viderentur. Nihil, quod eos distinguat, video quam colorem *Festivelli* in alis ant. magis sordidum et venas sordidius albidas strigasque obscurius fuscas, quae res omnes in *Jucundello* variabiles sunt. Nec *Jucundelli* caput et palpi superne semper albent, nec, quod HS. observare sibi videtur, *Festivelli* solius alae post. vestigium strigae ante marginem habent.

83) JUCUNDELLUS HS. *Alis ant. subelongatis, subobtusis, margine postico subrotundato, cinereis, juxta costam plerumque pallescentibus, venis albidis, strigis duabus luteis fusco maculatis opposite albido marginatis, posteriore superius acute fracta, ciliis totis tessulatis; post. canis niveo-ciliatis.* ♂ ♀.

Crambus jucundellus HS. Pyr. p. 62. Tin. fig. 11—14. ♂.

Magnitudo varia plerumque supra *Fascelinellum*, alarum forma prorsus ut in *Fascelinello* (itaque feminae quoque paulo acutiores quam maris). Striga postica non semper magis ad marginem posticum admota quam in *Fascelinello*, et angulus, quem pleraque specimina acutum habent, interdum obtusior est. Nec color strigarum semper est luteus, sed interdum fuscus ut in *Fascelinello*. Qui quum alis post. saepe satis dilutis utatur, dilutior *Jucundelli* color certum discrimen non praebet. Ergo stabilem video differentiam in ea tantum re, quod in *Jucundello* alarum ant. pars dorsalis squamis majusculis fuscis non est inquinata et cilia tota albo tessulata sunt, nec tamen id satis testimonii esse videtur, *Jucundellum* aliam esse speciem quam *Fascelinellum*. — Hab. in Hungaria ad Budam (HS.), in Russia australi ad Sareptam non rarus (Möschler).

84) PUDIBUNDELLUS HS. *Alis ant. elongatis, subobtusis, margine postico rotundato, nitidulis, cinereis, albido venosis, costa, margine postico strigisque duabus ochraceis, ciliis tessulatis; post. albidis, postice cinereis, ciliis niveis.* ♂ ♀.

Crambus pudibundellus HS. Pyr. fig. 159. VI, p. 144.

Optime distinctus a ceteris alarum ant. nitore, venis albis dilatatis, strigis ochraceis, ciliis aequaliter tessellatis etc. Femina non differt a mare nisi alis ant. angustioribus magisque acuminatis, abdomine albo, antennis ut in *Fascelinello* setaceis. — Habitat ad Sareptam.

85) SPURIELLUS Hbn. *Alis ant. postice dilatatis, acutis, griseis, fusco pulverulentis, venis albidis, strigis duabus fuscescentibus opposite albido marginatis, posteriore superius arcuata, ciliis totis tessulatis; post. cinereis.* ♀ *ant. angustioribus, costa post medium excavata.*

Tinea spuriella H. fig. 471 (nimis obscurata). Crambus Pedriolellus Dup. X, p. 134. t. 275. f. 6. Cat. 318. — Crambus aridellus HS. Pyr. p. 61. Tin. fig. 17 ♂ 18 ♀. ? Cr. Pedriolellus Staint. Manual 2, 182.

Alae ant. *maris* fere ut in *Ramosello* formatae, sed breviores et postice latiores; *feminae* ante apicem longe impressae. — Figurae HS. optimae. — Color primarius griseus, pulverulentus ubique, ideoque ne ante marginem posticum quidem alius. Cilia tessulata tota, opaca. — Alae post. aequaliter cinereae, ciliis paulo dilutioribus. — A Cr. *Kindermanni* ♂ facile distinguitur alarum ant. colore principali diversissimo — a ♀ alis ant. ante apicem impressis ideoque acutioribus, ciliis tessulatis totis. — Hab. in summis Alpium Helveticarum jugis (Dup., FR.). — Quum Stainton formam alarum non descripserit et locum in Angliae planitie indicet huic speciei ineptissimum

tantum cum dubitatione ejus *Pedriolellus* cum Duponcheliano conjungi potest. Thunbergii figuram cum hoc non congruere in *Fascelinelli* descriptione dixi. Cur Dup., quum figuram Hübneri ante oculos haberet, aliud nomen instituerit, levitate Gallica explicatur.

86) KINDERMANNI. *Alis ant. postice subdilatatis, acutis, sordide ochraceis obscurius pulverulentis, obsolete dilutius venosis, strigis duabus obsoletis obscurioribus, posteriore superius arcuata, ciliis leviter tessulatis; post. cinereis. ♀ alis ant. acutioribus, griseis, obscurius pulverulentis, albido venosis, strigis obsoletissimis.*

Huc referendam hanc speciem esse cilia tessulata docent; ceterum tam similis est *Lutecello*, ut Ledercro varietas ejus esse visa sit, quae, quum *Lutecelli* cilia semper unicolora sint, certissime non est. Mas a *Spuriello* facillime dignoscitur, femina multo similior, sed alarum ant. forma alia est minusque in ciliis tessulata, et cilia post. albida habet. — Magnitudo *Spurielli*. Thorax, caput et palpi ochracea, palpi exterius infuscati. Antennae maris ochraceo-fuscae, leviter crenatae, feminae fuscescentes, tenues, setaceae. Pedes lutescenti-grisei. Abdomen cinereum, in basi obscurum. — Alae ant. *maris* 6''' longae, subelongatae, paulatim latiores, acutae, margine postico leviter rotundato, sordide ochraceae, in dimidio inferiore obscurius pulverulentae, venis rarius et obsoletius pallidis, strigis duabus obscurioribus ut in *Fascelinello* collocatis; prior valde obsoleta est nec ultra venam medianam conspicua; posterior distinctior, superius arcuata, posterius lineolis pallidis venas sequentibus marginata. Puncta marginis postici quatuor nigra. Cilia cinerea, opaca, supra medium lineolis albidis tribus, infra medium una latiore dissecantur. Alae post. aequaliter obscurius cinereae, ciliis dilutioribus. — Subtus alae ant. obscure cinereae, costae linea lutea in alae apice dilatata; ciliorum lineolae albidae satis conspicuae. *Femina* alas ant. habet acutiores, margine postico minus rotundato magisque obliquo quam mas. Color earum griseus ubique subtiliter fuscescenti pulverulentus, costa sola vittae instar pallidior nec pulverulenta. Venae omnes sordide albidae, rami tenues. Striga prior deest, strigae posterioris tantum pars dimidia inferior conspicitur, et vel haec valde obsoleta est. Puncta marginis postici nigra seriem integram efficiunt. Cilia dilute cinerea, ut in mare signata. — Alarum post. cilia alba. Subtus anteriorum color primarius cinereus. — Hab. ad Sibiriae oppidum Ustkamenogorsk. (mus. Lederer).

87) SUBFLAVELLUS Dup. *Alis ant. elongatis, subacutis, margine postico rotundato, dilute ochraceis, strigis duabus subobsoletis fuscescentibus, posteriore dentata superius subarcuata, ciliis cinereis tessulatis totis; post. cinereis, dilutius ciliatis. ♂.*

Cr. — Dup. X. p. 113. tab. 275. fig. 5.

Hic quoque *Lutecelli* quandam similitudinem habet, sed propter cilia tessulata ei adsociari nequit. Alas quidem non venosas habet, sed strigarum et ciliorum natura cum hoc loco inseri jubet. Alae ant. angustae, mediocriter acutae, pulvere destitutae facillime a *Cr. Kindermanni* removent, nec ei admodum similis est. — Caput cum palpis et thorax pallide ochracea, frons et palpi maxillares paulo pallidiores, palpi labiales thoracis fere longitudine, graciles, exterius fuscescenti tincti. Abdomen pallide griseum. Pedes dilute ochracei. Alae ant. 6''' longae, satis angustae, postice leviter dilatatae, apice modice acuto, margine postico rotundato, pallide ochraceae ubique, strigis duabus latiusculis subobsoletis fuscescentibus. Striga prior in medio est, obliqua, exterius subarcuata, in margine dorsali distinctior; posterior paulo propior ad priorem quam ad marginem posticum, minus obliqua, in plica angulata, superius arcuata, ante costam subobsoleta. Puncta marginalia nulla. Cilia cinerea, lineolis pallide ochraceis obsoletis ubique dissecta. — Alae post. obscurius cinereae, postice vix obscuratae; cilia ochraceo-cana. — Subtus alae ant. obscure cinereae, postice latius pallidae, linea costali latiore pallide ochracea; posteriores canae, in apice cinereae, strigae ante marginem posticum cinereae vestigio in parte costali conspicuo. — Habitat in Corsica (Dup., Led.) — Duo specimina, quae vidi, ab ipso Ramburio cum nomine *Cr. Subflavelli* missa erant; quare de nomine minus dubito, quamquam in figura, quam secundum Duponchelii effigiem pinxi, alae justo latiores et colore laetius flavido sunt (qualem ipsius verba: „d'un jaune-paille, comme passé" volunt) et strigam posteriorem propius ad marginem admotam (à égale distance de la première et du bord terminal) habent.

88) EXSICCATUS n. sp. *Alis ant. subelongatis, acutis, margine postico subconvexo, antice late sordide ochraceis, ceterum cinereis fusco-pulverulentis, postice tenuiter albido-venosis, strigarum duarum brunnearum reliquiis in disco, ciliis tessulatis; post. albidis niveo-ciliatis, ♂ postice griseis.*

Cr. fuscisquamellus Koll. in lit.

Magnitudo et forma *Fascelinelli*, sed alae ant. acutiores pauloque magis elongatae. Tenerior est haec species et praecipue strigis alarum ant. insignis, quae utrimque latissime evanuerunt, unde similitudo quaedem *Ramoselli* efficitur. — Caput et thorax ochraceo-cana, patagia magis ochracea, collare in medio magis album. Antennae fuscescentes, ♂ crenato-denticulatae, ♀ setaceae. Palpi thoracis longitudine, acuti, graciles, exterius grisei, brunneo pulverulenti, basi subtus albida. Pedes antici fusco-cinerei, postici in altero latere albidi, in altero grisei. Abdomen lividum. — Alae ant. ♂ 6—6½, ♀ 7—7½''' longae, subelongatae, (♀ angustiores), margine postico nonnihil rotundato, apice acuto (in ♀ acutiore quam ♂), antice ex costa sordide et pallide ochraceae, (qui color tamen interdum fuscescenti inquinatus est) ceteroquin cinereae squamis nunc rarioribus, nunc crebrioribus fuscis adspersae, praecipue inter plicam et venam subdorsalem, ubi fere vittam ex basi prodeuntem formant. Venarum subcostalis et medianae rami teneri, albidi; vena subdorsalis plerumque distincte cana. Strigae duae imperfectae ex brunneo fuscae; prioris rudimentum inter ramorum venae medianae radices, ejusque pars super plica posita in lituram linearem producta est; posterior nihil nisi arcum efficit obsoletum super ramos venae medianae ductum et superius attenuatum. Inferiori marginis postici parti adjacent puncta atra tria; cilia albo cineroque alternata sunt. — Alae post. nitidulae, tenerae, albidae, in ♂ postice semper, in ♀ interdum griseae. — Subtus alae ant. cinereae, juxta costam subochraceae vel albidae, qui color postice angustatur; dorsum late canescit. Alae post. albidae vel albae, margine costali cinereo. — Patria Americae septentrionalis civitas Illinois. — 3 ♂ 7 ♀ examinavi. — Nomen a Kollario datum quum plerisque minus aptum sit, mutandum censui.

89) PENTADACTYLUS. *Alis ant. latiusculis, subobtusis, margine postico subconvexo, cano-griseis, linea in vena mediana decurrente albida, crassa, inferius fusco-marginata, postice in quinque ramos in medio nigro notatos divisa, ciliis tessulatis.* ♂.

Linea alba longitudinalis hunc valde insignit. Magnitudo *Ancyl. Palpellae.* Caput et thorax (non mediocriter laesa) luteo-grisea. Palpi labiales thoracis longitudine tenues, acuti, griseo-lutescentes. Antennae simplices fuscescentes. Pedes grisei. Abdomen pallide griseum, barba anali longiore. — Alae ant. 7''' longae, postice dilatatae, subobtusae, margine postico subconvexo, ex rufescenti griseae, in venis albidae, plaga cellulae mediae postica longitudinali alba. Squamae nigro-fuscae hic illic sparsae. Vena mediana lineam latam albam format ex basi orientem, infra inaequaliter, sed postice latius fusco-nigro marginatam; ea in media ala dentem exserit in colorem fuscum, deinde paulatim in lineas quatuor albas nigro marginatas solvitur, quarum vix infima marginem posticum attingit. Transit per has lineas series arcuata macularum nigricantium minutarum ita, ut singulis lineis singulae maculae impositae sint, et quinta macula in lineolam albam producta supra finem cellulae mediae jaceat. In margine postico puncta nigra 6—7 distincta. Cilia griseo albidoque alternata. — Alae post. latae, obtusae, dilute lividae, unicolores; subtus juxta costam et in apice infuscatae. Alae ant. subtus fumosae, ciliis obscure cinereis. — Patria: Terra Vandiemenii. (Ex museo Saunders.)

C. d, α. † **90) DIGITELLUS HS.** *Magnus; alis ant. acutis, postice dilatatis, testaceo-griseis (HS), venis albis, ramis medianae postice nigro marginatae ad marginem posticum perductis, striga postica fusca utrimque evanescente, ciliis vix tessulatis; post. canis, ante marginem albidis (♂).*

Cr. digitellus HS. Pyr. p. 116. Tin. fig. 203.

Rami venae medianae marginem posticum attingentes et color primarius flavescens a sequenti distinguere videntur. — Patria: Gallia australis (HS.)

91) PETRIFICELLUS Dup. *Magnus; alis ant. acutis, postice dilatatis, cinereis, vitta media postice in ramos quatuor soluta alba, inferius fusco marginata et inter ramos fusco expleta, margine postico nigro-punctato, ciliis canis non tessulatis; post. canis albido-ciliatis. (♂).*

Cr. petrificellus Dup. X, p. 132. tab. 273. fig. 8. ♀. 9. ♂. — Guen. Cat. 91.

A *Digitello* differe videtur colore alarum ant. non flavido, vena mediana valde dilatata vittam efficiente. *Combinelli* vel *Coulonelli* varietas certissime non est; nam major est multo, et venam medianam inferius late fusco marginatam ramosque ejus magis inter se remotos habet. — Caput, palpi superne et thorax antice in medio albida; scapulae griseae. Alae ant. 7½''' longae, postice sensim dilatatae, subacutae, margine postico obliquo leviter rotundato, griseae, juxta costam postice latius canae. Vena mediana valde incrassata, infra fusco late marginata; rami quatuor attenuati albi, inter se fusco colore late distantes, obsolete ad marginem posticum perducti. — Strigae

eos secantis vix vestigium discernitur. Linea marginalis punctis sive lineolis nigris, quas venae albidae separant, efficitur. Cilia cana non tessulata. — Subtus alae ant. cinereae, postice late albidae; posteriores albidae. — Hab. in montibus Pyrenaeis mense Julio (Dup.); in Stiriae alpe Buchalp mares duos cepit Mann 5 Julii mensis die. (2 ♂ in museo Wockeano). — Feminam alis uti multo angustioribus obliquiusque truncatis ideoque acutioribus, et colorem ejus dilutiorem esse, sed vittam propter marginem nigrum distinctiorem Duponchelius testatur.

Adnot. *Tin. petrificella* Hübneri, quam Dup. huc refert, ad *Combinellum* pertinet.

† **92) SIMPLONELLUS Dup.** *Alis ant. latis acutis, brunneis, vitta media alba postice quadrifida arcum ex margine dorsali adscendentem album tangente, linea alba plicae ad arcum eundem usque perducta.* ♂?

Cr. — Dup. X, p. 130. t. 273. f. 7.

„Caput cum palpis antennisque et thorax olivaceo-fusca, abdomen cinereum; pedes et pectus virescenti-„cinerea. Alae ant. olivaceo-fuscae s. brunneae, vitta media alba subspatulata in apice lineolis 3 fuscis notata. „Inter hanc vittam et marginem dorsalem linea alba longitudinalis decurrit et ad strigam parvam albam cum vittae „apice coalescentem terminatur. Ante cilia alis concolora series punctulis nigris vix distinctis efficitur. — Subtus „hae alae cinereae nitidae, costae apice et margine postico maculis nonnullis cuneatis albis notato. — Alae post. „superne cinereae dilutius ciliatae, subtus nitide albae. — Unum modo specimen in monte Simplone mensis Maji „(?) exitu captum est." — Duponchelius, qui hanc insignem tantum *Combinelli* varietatem esse ipse suspicatur, recte suspicari videtur.

93) COMBINELLUS SV. *Alis ant. latiusculis, postice dilatatis, acutis (♀ acutioribus) fuscescenti ochraceove griseis, vena mediana crassa alba, spatio inter ramos infuscato, ramis usque ad strigam arcuatam tenuem fuscescentem exterius albo marginatam, utrimque evanescentem perductis, ciliis non tessulatis; post. cinereis.*

Phal. Tin. combinella Wien. Vzchn. 319. Crambus combinellus Z. Isis 1839, 174. — HS. Pyr. p. 60. Tin. fig. 7. ♂. — Dup. X, p. 126. t. 273. f. 5. Chilo combinellus Zinck. Germ. Mag. 2, 45. — Tr. 9, 1. 123. Tinea petrificella H. fig. 47. (mala) ♂. Chilo petrificellus Zinck. Germ. Mag. 2, 94. Exoria combinalis H. Cat. 367.

Hab. in Alpium Noricarum pratis alpinis frequens. Hanc esse Systematis Vindob. speciem, quae idem nomen fert, Charpenterio et Treitschkio credendum fuit; male credi puto, quum verba: silberweisse, auswärts braungelbe Schabe, pessime eam denotent. Atqui quoniam habita fides est, nihil amplius mutandum. — Duponchelii figura (t. 273. 5.) male facta videtur, quum lituram quidem ochraceam post costam mediam *Combinellus* saepe habeat, nunquam vero maculas binas albidas. Ceterum haec et proxima species vel in forma alarum ant. ♂ variabiles sunt, quippe quarum margo plerumque est totus convexus, interdum vero infra apicem ut in ♀ profundius impressus.

94) COULONELLUS Dup. *Alis ant. latiusculis, postice dilatatis, acutis (♀ acutioribus) griseo-fuscescentibus, vena mediana crassa alba postice quadrifida, striga postica lata, fusca, arcuata, exterius latius albo marginata, ciliis non tessulatis; post. cinereis.*

Crambus Coulonellus Dup. X, p. 128. t. 273 f. 6 ♂. (non ♀) (mala). Crambus taeniellus Z. Isis 1839, 174. — HS. Pyr. p. 60. Tin. fig. 6. ♂ (bona).

Differt a praecedente ramis venae medianae latioribus, brevioribus, striga latiore, a margine postico magis remota, albo latius marginata. Striga prior, quam HS. commemorat, non adest, nisi lineam a rami venae medianae primi origine ad dorsum oblique et obsolete deductam pro ea accipere volumus; sed ejus etiam in *Combinello* detegere possumus vestigia. — Hab. in summis montium Helveticorum et Salisburgensium jugis. In Silesiae monte Altvater investigatus est a Wockeo, doctore Wratislaviensi. (Zeitschrift für Entomol. zu Breslau. 1850. Lepid. p. 41.)

95) ORIENTELLUS HS. *Alis ant. latiusculis, acutis, margine postico leviter rotundato, obscure brunneis, vena mediana ramisque ejus primis duobus obsolete albidis, striga priore per maculam venae medianae fusce additam indicata, striga posteriore obsoleta obscuriore inferius et ante costam squamis albidis marginata; post. fusco-cinereis totis.* ♂.

Cr. orientellus HS. fig. 175.

Cr. Furcatelli magnitudine et colore, sed quum strigas duas obscuriores habeat, inter *Combinelli* gregem ponendus. — Caput totum et thorax eodem colore, quo alae ant. Palpi subhirsuti, vix thoracis longitudine. Abdomen fuscum. Pedes brunnei, tarsi cinerei. — Alae ant. 5‴ longae, latiusculae, postice paulatim latiores, acutae, margine postico leviter rotundato, obscure brunneae. Vena mediana paulo dilutior, rami duo ejus primi albidiores

tenues. Striga prior ea re indicata est, quod in angulo, ubi ramus primus exit, macula parva obscure fusca jacet. Striga posterior, quae media est inter hanc maculam et marginem posticum, satis distincta est et fusca et superius in angulum fracta; margo exterior cruris inferioris squamis paucis albidis fit, quum crus superius utrimque lineolis albidis obsoletis marginetur. Punctula marginis postici infra medium nigra obsoleta. Cilia fusco-cinerea. — Alae post. obscure fusco-cinereae, cilia vix dilutiora. Subtus alae omnes fusco-cinereae, nitidulae. — Specimen hoc captum est in Austriae Alpibus mense Augusto (Wocke). — Figura HS. satis bona est, sed color alae ant. nimis laetus nec strigae posterioris angulus satis argutus; nec linearum fuscarum, quae in marginem posticum ductae sunt, ullum vestigium in specimine Wockeano discerno. Quum autem HS. a descriptione abstinuerit (neque enim in supplementis invenio), haec causa est, quod quidam hanc figuram ad varietates *Cr. hortuelli* obscuras referre voluerunt, ad quas minime pertinet.

C, d, β. **96) CULMELLUS L.** *Minor, palpis longis, acuminatis, alis ant. subelongatis, acutis, margine postico subconvexo, pallide ochraceis, juxta costam obscurius adumbratis vel saturatis, venae medianae dilutioris ramis per squamas seriatas griseas separatis, margine vitellino nigro-punctato, ciliis orichalceis.*

Phal. culmella Linn S. N. 1, 2. 886. Chilo culmellus Zck. Germ. Mag. 2, 70. Tr. IX, 1. 93. Crambus — Dup. X, p. 71. t. 271. fig. 2. a, b. — HS. Pyr. p. 57. — Stainton Manual 2, 182. — Tinea straminella H. fig. 49 (mala) ♂. — Tinea vinacella Schrank Fn. 2, b. p. 105.

Hab. in regionum planarum et alpium pratis frequentissimus. Proximus sequenti et *Chalybirostri*.

97) RURICOLELLUS. *Minor, palpis longis in apice fusco pilosis, alis ant. subelongatis, apice rectangulo, margine postico subconvexo, pallide ochraceis, postice infra costam griseo adumbratis, venae medianae dilutioris ramis per squamas seriatas griseas separatis, strigis duabus obsoletissimis griseis posticis, margine vitellino nigro-punctato, ciliis orichalceis* ♂ ♀.

Simillimus *Culmello*, sed pallidior, alis ant. vestigia strigarum duarum continentibus, palporum apice exterius nigricante et pilis ampliato certissime distinctus. Caput et thorax dilutissime ochracea; scapulae in medio griseae; palpi thoracis et capitis longitudine, compressi, apicem versus fere dilatati propter pilos divergentes, pallidi, in latere exteriore vittae instar fuscescentes et in apice pilis nonnullis nigris immixtis. Antennae pallidae, ♂ pubescenti-ciliatae, ♀ tenuiores. Pedes pallidi; anticorum tibiae et metatarsi in latere interiore linea nigra notati. Abdomen lividum. Alae ant. $4\frac{1}{2}$—4‴ longae, paulo latiores quam *Culmelli*, subelongatae, postice nonnihil dilatatae, costa convexiore quam *Culmelli*, apice rectangulo, margine postico leviter convexo. Color pallidissime ochraceus, dilutior quam *Culmelli*, squamis ex luteo griseis lineas inter venas formantibus, praecipue supra ramum venae medianae supremum in nebulam latam introrsus coarctatam congestis. Strigae duae pulvere luteo-griseo efficiuntur valde obsoletae et imperfectae; prior, quae latior est, ex dorso ante medium oblique adscendit et cursu venis hic illic interrupto in cellula supra venae medianae ramos desinit, altera, cujus vestigia et ipsa levissime impressa sunt, cursu est arcuato, eaque tenuis est et exterius diluto colore marginata. Margo posticus ut in *Culmello* anguste vitellinus est et punctis nigris perdistinctis notatus. Cilia orichalcea magis nitent quam in *Culmello* solent. Alae post. dilutae, lividae, exterius cinerascentes; cilia albida. — Subtus alae ant. in disco fusco-cinereae; margines pallide ochracei; puncta marginalia nigra distincta; cilia ferrea, nitida, exterius fusco-cinerea. Posteriores dilutiores quam superne. — Patria: Americae septentrionalis civitates Ohio et Jllinois.

Adnot. Hic Cr. *vulgivagellus* esse potest, quem Brackenridge Clemens p. 204 (Contrib. to American Lepidopterology N. 5) descripsit; sed ejus verba non minus apta sunt *Chalybirostri*.

98) CHALYBIROSTRIS. *Major; palpis longis postice incrassatis, exterius cinereis, apice nitide violaceo-piloso, alis ant. subelongatis, pallide ochraceis, ubique inter venas griseo-squamatis, margine postico vitellino nigro-punctato, ciliis orichalceis.* ♂ ♀.

Cr. barbipalpellus Kollar in lit.

Differt a *Culmello* et *Ruricolello* magnitudine multo majore, palporum squamis apicalibus metallico nitentibus, alis ant. angustioribus, inter venas ubique aequaliter pulvereis. Caput pallide ochraceum. Palpi thoracis longitudine, tenues, postice crassiores, pallidi, in latere externo cinerei fusco marmorati, pilis in apice colore violaceo fulgentibus. Antennae pallide griseae, ♂ apicem versus subcrenatae. Thorax pallide ochraceus, patagia in medio cinerea. Pedes pallidi, anticorum pars adversa fuscescit. Abdomen pallide griseum, ♀ lividum, ano pallido.

Alae ant. $5\frac{1}{2}$—6''' longae, angustiores quam *Culmelli*, ceterum ejusdem formae, pallide ochraceae, inter venas ubique squamis lutescenti-griseis in lineas longitudinales compositis vestitae; squamae hae inter costam et venam medianam magis confertae umbram formant postice ampliatam. Strigarum ne vestigium quidem discernitur. Margo posticus vitellinus punctulis 6—7 nigris notatus est. Cilia orichalcea. — Alae post. dilutae, griseo-cinereae. Cilia albida linea prope basim cinerea dissecantur. — Subtus alae ant. in disco cinereae, marginibus anguste ochraceis, punctis marginis postici minutis; cilia metallica hic minus flavent quam superne. Posteriores dilute cinereae, adversus costam in ♂ latius quam in ♀ obscuratae. — Hab. in Americae civitatibus Ohio et Jllinois.

99) DELICATELLUS. *Palpis —, alis ant. latiusculis, postice leviter dilatatis, acutis, pallidissime vitellinis, venis albidis obsoletis, punctis nigris tribus marginalibus, ciliis nitidis adversus angulum analem metallicis; post. ex albo flavidis.* ♂ ♀.

Multo major *Culmello*. Caput et thorax ochraceo-alba. Antennae maris subtilissime crenulatae, pubescenti-ciliatae, in dorso albidae. Palpi maxillares albi, basi grisea; (labiales praefracti); haustelli basis albo squamata. Pedes et abdomen albido-ochracea. — Alae ant. ♂ 5, ♀ $5\frac{1}{2}$''' longae, longiusculae, postice paulatim dilatatae, acutae, costa fere recta, margine postico inferius leviter rotundato, pallidissime vitellinae, dorsum versus etiam pallidiores. Venae fere omnes albidae, tenues, satis obsoletae. Strigae obscurioris mediae vestigium vix in margine dorsali distinguitur, nec posterioris initium distinctius est proxime ad angulum analem. Puncta tria parva nigra in margine postico supra angulum analem, ibique color alae primarius saturatius flavescit. Cilia cinereo-flavida nitida linea obscuriore media dissecantur; pars inferior magis nitet quam superior, praecipue juxta puncta marginalia. — Alae post. dilutissime flavido-cinereae s. exalbidae, in apice obscuriores; cilia alba. — Subtus alae nitidulae, flavedine quadam tinctae, ant. canescentes, punctis marginalibus nigris minutissimis; post. exalbidae, linea marginali ochracea tenuissima. — Hab. in Sicilia circa Panormum (mus. Staudinger.)

100) MURINELLUS Koll. in lit. *Palpis mediocribus; alis ant. elongatis, acutis, pallide ochraceis, margine postico late lilacino-cinereo, punctulis marginalibus atris, ciliis orichalceis; post. albis.* ♀.

Caput cum palpis et thorace albido-flavescens. Palpi maxillares inferius brunnei; labiales thorace paulo breviores, mediocres, inde a medio valde attenuati, in latere externo brunnescentes, apice obscuriores. Antennae fuscescentes, articulo basali exterius pallido. Haustellum pallide squamatum. Patagia dilute schistacea. Pedes exalbidi, tarsi sordide flavidi, anticorum femora et tibiae in latere adverso fuscescentes. Abdomen lividum, in basi exalbidum. Alae ant. $5\frac{3}{4}$''' longae, satis angustae, acutae, margine postico subconvexo, dilute griseo-ochraceae, dorso vittae instar pallidiore (fortasse propter alas in hac parte detritas). Vena dorsalis superius schistaceo, inferius s. dorsum versus fusco marginata. Pars alae postica schistacea, praecipue adversus apicem, qui color discum versus in ochraceum evanescit. Non procul a margine postico striga obsoleta lutea ex dorso oritur, sed circa medium evanescit. Margo posticus ad angulum internum plagam angustam luteolam habet in eaque punctula 4 atra marginalia. Cilia orichalcea. — Alae post. albae, linea marginali flavida. Cilia alba. — Subtus alae ant. sordide ochraceae, in disco fuscescentes; punctula marginalia atra distincta. Posteriores albae, costa latius flavida. — Patria Brasiliae provincia Ypanema (Koll.). Specimen unum ♀ musei Vindob. vidi.

C, d, γ. **101) SAXONELLUS Zincken.** *Palpis mediocribus; alis ant. latis, postice dilatatis, acutis, pallide vitellinis, strigis duabus tenuibus posticis fuscescentibus, priore superius evanescente, inferius puncto nigro notata, posteriore arcuata, exterius albido marginata, ciliis luteo-griseis, nitidis; post. cinereis, striga postica obsoleta.* ♂ ♀.

Chilo Saxonellus Zck. Germ. Mag. 4, 255. — Tr. 10, 3. 170. — F. v. R. Beitr. 263. t. 89. f. 2. a. b. Crambus — Dup. X, 139 t. 275. f. 2. — HS. Pyr. p. 57. Chilo chrysellus Tr. 9, 1. 132.

Hab. in Hungaria, Austria paucisque aliis Germaniae locis, ut ad Ratisbonam (HS.), Jenam (Schläger), Lipsiam (Zck.)

102) INQUINATELLUS SV. *Palpis longis, alis ant. elongatis, acutis, pallide ochraceis, vena mediana cum ramis paulo pallidiore, strigis duabus partim interruptis fuscescentibus, litura longitudinali fusca priorem secante, margine postico nigro-punctulato, ciliis griseis nitidulis.*

Tinea inquinatella Wien. Vzchn. 134. — Hübn. fig. 54. (alis nimis brevibus.) Chilo inquinatellus Zinck. Germ. Mag. 2. 103. Tr. 9, 1. 121. Crambus — Dup. X, p. 120. t. 273. f. 2. — HS. Pyr. p. 56. — Stainton Man. 2, 182. — Z. Jsis 1847, p. 753. Pediasia inquinatalis H. Cat. 364. — ? Tinea arbustella Schrank Fn. 1787. Cr. luteellus Steph. Illustr. 4, 327.

Hab. in Europae temperatioris et calidioris pratis siccis Julio et Augusto mensibus frequens; in Jtalia media ipse eum vidi; Siciliam commemorat HS; ex Phoenicia accepit Lederer.

103) GENICULEUS Haw. *Palpis thorace longioribus, alis ant. subelongatis, acutis, schistaceis vel pallide cinereis, dorso late schistaceo, vena mediana lata cum ramis pallida, strigis duabus brunneo-fuscescentibus, priore ad venam medianam fusco dissecta, posteriore angulata tenuiter albido marginata, margine postico nigro punctato, ciliis pallide orichalceis.* ♂ ♀.

Crambus geniculeus Haw. Lep. Brit. — Boheman: Resa i Södra Sverige 1851, p. 139. Cr. inquinatellus Steph. Illustr. 4, 327. Cr. angulatellus Dup. X, p. 118. t. 273. f. 1. — HS. Pyr. p. 57. Tin. fig. 8—10. — Z. Jsis 1847. p. 755. Cr. suspectellus Z. Jsis 1839, 174.

Hab. in Europa calidiore frequens, in temperatiore rarior (ad Glogoviam bis inventus est); etiam in Asia circa Smyrnam.

Adnot. Si verum esset Hübneri Tin. *immistellam* f. 364. hanc esse, nomen ejus sine dubio praeferrem, sed quamvis strigae congruant, tamen reliqua multo aptiora sunt *Contaminello*.

104) TRABEATELLUS HS. *Parvus, palpis thoracis longitudine, albis; alis subelongatis, acutis, costa convexiore, pallidissime ochraceis, vitta media obsoleta albida ad marginem posticum nigro-punctatum perducta, inferius brunneo marginata, strigae posticae brunneae vestigio supra plicam, ciliis albis; post. canis albo ciliatis.* ♂.

Crambus — HS. Pyr. 57. Tin. fig. 158.

Specimen meum masculum est. Maximopere differt a *Geniculeo* alis ant. simpliciter stramineis, ciliis albis non metallicis, vitta ad marginem usque propagata nec in ramos divisa, post. canis albo ciliatis, palpis albis, in latere externo squamulis fuscis adspersis. Vittae albae natura mira, nec tamen vetat *Trabeatellum* hoc loco poni. Quum vero haec species variabilis esse possit, fortasse melius erat expectare, donec plura essent inventa specimina. — Patriam speciminis mei nescio, HS Siciliam scribit.

105) PALEATELLUS Z. *Palpis thoracis longitudine, alis angustis, obtusis, postice rotundatis, straminei strigis duabus obsoletis brunneis utrimque abruptis, posteriore valde a margine fusco-punctato remota, ciliis albidis non nitidis; post. canis albido ciliatis.* ♂.

Crambus paleatellus Z. Jsis 1847, 754. HS. Pyr. 57. Tin. fig. 143 (al. ant. margine postico non satis obtuso.) — Chilo inquinatellus Z. Jsis 1847, 28.

Habitat ad Smyrnam.

106) TERSELLUS Led. *Palpis longis, antennis ♂ longis, serratis; alis ant. latiusculis, postice dilatatis, acuminatis, margine postico infra apicem subrotundato, schistacea-griseis, costa ochracea, venae medianae basi albida, strigis duabus fuscis interruptis antice evanescentibus, margine postico nigro-punctato, ciliis cinereis; post. latis pallide cinereis (♂). — ♀ al. ant. angustioribus, pallidissime luteis, strigis duabus fuscis antice imperfectis; post. albis totis.*

Cr. — Led. Zool. bot. Vereinsschrift 1855, p. 220. (Sep. p. 44.) tab. 4. fig. 6.

♂. Palpi, antennae, abdomen, pedes longa. Alae juxta costam late ochraceo-griseae, sed color hic non semper valde conspicuus. Striga prior (quae in Led. figura deest, quum in uno specimine desit) aeque crassa est ac posterior et ex dorso ante medium obliquissime surgit, ante colorem pallidum evanescit. Vena mediana in basi vittae instar albet, qui color mox obscurior fit. — ♀ alae ant. multo angustiores, costa convexa, apice acutiore. Color dilutissime luteus, in spatio costali magis ochraceus. Squamae obscurae nullae inspersae. Strigae fuscae distinctae, tenues, interruptae, longe ante costam evanescentes: prior ad venam medianam macula fusca notatur; posterior ne in dorso quidem distinguitur. — Alae post. ambitu minore quam in mare, niveae totae, nitidulae. Anteriores subtus albidae, in disco cinerascentes. — Hab. in Phoenicia circa Berytum et in Cilicia (Lederer).

107) DESERTELLUS Led. *Palpis longis, alis ant. elongatis, acuminatis, dilutissime brunneis saepe fusco adspersis, strigis duabus fuscis superne evanescentibus, priore maculam obscuriorem ad venam medianam continente, puncto interjecto fusco, margine postico nigro-punctato, ciliis cinereis; post. cinerascentibus.*

Crambus Led. Zool. bot. Vereinsschrift 1855, p. 220 (Sep. p. 44) t. 4. fig. 7.

Multo minor priore, sed abdomine et pedibus etiam gracilioribus. Antennae leviter crenatae subpubescentes. Punctum fuscum alarum ant., quod pone cellulae mediae finem est, interdum terminum strigae prioris efficit.

Color primarius squamis fuscis hic illic conspersus est. — Alae post. maris dilute cinereae vel canae, fem. canae, striga obsoleta cinerea ante marginem posticum decurrente, infra alae apicem flexa, procul ab angulo anali evanescente. — Patria Phoenicia ad Berytum. (Led.)

108) MATRICELLUS Tr. *Palpis longis; alis ant. perangustis, acuminatis, canis, fuscescenti pulverulentis, macula venae transversae rotundata albida, striga postica fuscescenti dentata superius acute fracta, exterius albido marginata, ciliis non nitidis; post. elongatis canescentibus.*

Phycis matricella Tr. IX, 1. 71. — Crambus matricellus Z. Isis 1839 p. 174. Dup. Cat. 318 — HS. Pyr. p. 117. Tin. fig. 138. 139.

Hab. in Hungaria (Tr.), Russia australi ad Sareptam non rarus (Christoph), in Caucaso (Wocke.)

Hanc speciem ad *Eudoreas* accedere minime concedo. Pedibus quidem insignis ea est longis et alis post. acutangulis et anteriorum angulum analem fere superantibus, sed nisi venarum ordinatio et numerus, quem examinare mihi non licet, aliter suadeat, nullam reperio causam, quae eam ex *Crambis* excludat.

109) † SICULELLUS Dup. *Parvus, alis ant. subelongatis, acuminatis, rufescenti-cinereis, strigis duabus ferrugineo-fuscis superius fractis, posteriore media inter priorem et marginem posticum, ciliis unicoloribus rufescenti-cinereis; post. cinereis, cano-ciliatis.* ♂.

Cr. — Dup. X. p. 136. t. 275 f. 7. ♂.

„$9\frac{1}{2}'''$. Alae ant., quarum apex acutissimus est, rufescenti-cinereae sunt et strigas duas continent ferrugineo-fuscas, leviter dentatas, parallelas inter se, superius in angulum acutum fractas; prior in medio est, posterior pari spatio a priore et a margine postico distat. Ante cilia linea punctis nigris confertissimis efficitur. Cilia „rufescenti-cinerea. Subtus alarum color fusco-cinereus, nitidus. Alae post. dilute fumidae, ciliis sordide albidis. „Capilli, palpi, antennae, thorax, pedes colore non differunt ab alis ant., et abdominis color idem est atque alarum „post. — Hab. in Sicilia." (Dup.) — Aptusne hic sit locus, rectene animalis natura exposita, ipsius hujus Crambi adspectus doceat necesse est.

110) CONTAMINELLUS H. *Palpis longis, attenuatis; alis ant. magis minusve elongatis, acuminatis, margine postico infra apicem rotundato, dilute fuscescenti-luteis, venae medianae dimidio basali pallido inferius fusco-marginato, strigis duabus brunneis in medio incrassatis, posteriore angulata, margine postico medio nigro-punctato, ciliis griseis; post. cinereis.*

Tinea contaminella H. 59 ♂. Chilo contaminellus Zinck. Germ. Mag. 2, 107. — Tr. IX, 1. 124. Crambus — Dup. X, p. 273. t. 283 f. 4. — HS. Pyr. 60. Tin. fig. 88. ♂ 89 ♀ (optimae) — Stainton Man. 2, 183. — Z. Isis 1847, 756. — Pediasia contaminalis H. Cat. 365. — Tinea inquinatella H. 442. ♀. Pediasia inquinatalis H. Cat. 365. ?Tinea immistella H. 361. — ?Pediasia immistalis H. Cat. 365. — ?Tinea arbustella Schrank Fauna 2, 1787.

Var. b) al. ant. totis fusco obumbratis.

Hab. in Europae calidae et temperatioris pascuis aridis mensibus Julio et Augusto passim frequens. — E Phoenicia complures accepit Led. a nostris non diversos.

111) CERVINELLUS Koll. in lit. *Palpis mediocribus; alis ant. subelongatis, acuminatis, margine postico infra apicem rotundato, griseo-brunneis, dorso latius albido, hamo alae fere mediae strigaque postica tenui brunneis, margine postico nigro-punctato, ciliis griseis, nitidis; post. albis.* ♀.

Sequenti major ab eoque multis rebus distinctus: alis angustioribus, paulo acutioribus, non nitidis, colore, signo disci. Nec cum *Marinello* confundi potest, cujus alae ant. postice late violaceo-cinereae sunt et cilia habent orichalcea. — Caput album. Palpi maxillares lutei superne albi; labiales thoracis longitudine, mediocres, a medio valde attenuati, intus albi, in latere externo toti luteoli. Haustellum albido-squamatum. Antennae luteo-griseae. Thorax griseo-brunneus, vitta media lata alba. Pedes albi, antici in latere adverso luteo-grisei. Abdomen canum. Alae ant. $5-5\frac{1}{2}'''$ longae, subelongatae, postice leviter ampliatae, margine postico convexo, infra apicem acutum levissime retuso, ex griseo-brunneae, postice squamulis albidis inspersis, ideoque magis cinerascentes. Dorsum alae late vittae instar canescit, squamulis tamen hic illic inspersis brunnescentibus. In dimidia ala ad hujus albedinis margines angulus vel liturula ex brunneo fuscescens conspicitur, quae strigae prioris situm videtur denotare. Non procul a margine postico striga tenuis, subarcuata, fuscescens transit, quae nec usque ad marginem dorsalem demittitur et ante marginem costalem obsoletissima fit; ejus pars in plicae regione crassior et obscurior

est. Margo posticus canescit et 7 punctis nigris ornatur nonnihil imparibus. Cilia grisea, nitidula, in basi angustissime albida. — Alae post. albidae, adversus apicem cinerascentes; cilia alba. — Subtus alae ant. nitidulae fusco-cinereae, costa postice anguste lutescente; post. albidae, costa et apice latius obscuratis. — Hab. in Brasiliae provincia Ypanema (Koll.). Feminas duas musci Vindob. examinavi.

112) FUSCICOSTELLUS. *Palpis thoracis longitudine, antennis ♂ serratis; alis ant. subelongatis, acutis, margine postico subrotundato, schistaceo-cinereis, antice canescentibus, costa ex basi ad medium fusco inducta, strigis duabus fuscis, posteriore serrata, liturula fusca ex apice, ciliis schistaceo-cinereis; post. cinereis.* ♂ ♀.

Plerisque *Inquinatellis* paulo minor, alarum forma fere eadem, sed costa ex basi convexiore. Palpi thoracis longitudine, acuminati, in latere externo cano-squamulati, basi subtus alba. Antennae fuscescentes, ♂ confertissime serratae. Thorax schistaceo-cinereus, spatio inter costam et venam medianam distincte canescente, costa ex basi paulo ultra medium brunneo latius obumbrata. Strigae duae fuscae magis minusve imperfectae; prior, cujus interdum macula tantum media in disco exstat, crassior est et ex medio dorso orta venae medianae ramorum originem superat; posterior, quae propior ad marginem posticum quam ad illam est, cursum leviter arcuatum habet et serrata est, praecipue in spatio cano, ibique inter dentes plerumque interrupta. Ex apice alae litura minuta fuscescens prodit costae propior. Margo posticus punctulis nigris 6—7 notatus est. Cilia cinerea, nitidula, sed neutiquam metallica. — Alae post. cinereae, adversus marginem internum dilutiores; cilia dilute cinerea linea obscura prope basim dissecantur. — Subtus omnes cinereae, posteriores dilutae. — Feminae maribus majores. — Hab. in Americae septentrionalis civitatibus Ohio et Illinois.

113) SUBTILELLUS Koll. in lit. *Palpis mediocribus; alis ant. oblongis, acutis, sublilacino-canis, nitidulis, squamulis albidis inspersis, strigis 2 posticis angulatis tenuibus lutescentibus, punctulis marginalibus atris; cilus cinereis metallicis; post. albidis subpellucidis.* ♂.

Magnitudo *Pratelli,* alarum ant. forma Cr. *contaminelli.* Distinguitur a Cr. *cervinello* alis ant. multo latioribus, colore cervino non admixto, magis nitidulis, striga posteriore a margine postico magis remota magisque incrassata etc. Caput album, pone oculos lutescens. Palpi maxillares albi, subtus luteo-grisei, labiales thorace vix breviores, mediocres, longe attenuati, albi, exterius luteo-grisei, sub apicem obscuriores. Haustellum longum, convolutum, albo squamatum. Menti et pectoris squamae albae, margaritaceo nitentes. Thorax lutescenti-griseus, collaris medium album. Pedes albidi, tarsi sordidi. Abdomen griseum, ventre albo. Alae ant. 5‴ longae, oblongae, postice leviter ampliatae, margine postico oblique convexo, apice acuto subprominente, sublilacino-canae, nitidulae, squamis albidis ubique inspersis, postice fere in lineas longitudinales congestis. Strigae duae tenues fuscescenti-luteae, subobsoletae, prior multo post medium posita, valde obliqua, undulata, bis angulata, ad dorsum reflexa; altera margini propior quam strigae priori, undulata, paulo crassior, costam versus introrsus flexa, exterius albido anguste marginata. Puncta marginalia atra 7. Cilia cinerea metallice nitent. — Alae post. albidae subpellucidae, apicem versus canae, linea marginali flavida, ciliis albis. — Subtus alae ant. cinereae nitidulae; post. albidae, costa cana, linea marginis flavida. — Patria Brasilia (Kollar). Specimina duo ♂ musei Vindob. examinavi.

C, d. δ. **114) LINEARELLUS Koll. in lit.** Minor; palpis mediocribus; alis ant. latioribus, acutis, albidis, venosis, venis lutescenti-griseis, alternatim crassis tenuibusque, puncto uno venae transversae punctulisque marginalibus septem atris, ciliis canis; post. albidis. ♂.

Magnitudo *Culmelli,* sed alae paulo latiores. — Caput et thorax albida. Palpi maxillares lutei, superne late nivei; labiales thoracis fere longitudine, tenues, longe attenuati, nivei, in latere externo dilute ochracei. Antennae simplices, luteae, in dorso albidae. (Haustellum deest, fortasse quia destructum est.) Pedes antici et reliquorum femora ochracea, tibiae tarsique albescentes. Abdomen albido-griseum. Alae ant. 4½‴ longae, latiusculae, oblongae, postice paulo latiores, acutae, margine postico convexo, albidae. Venae omnes nonnihil dilatatae, lutescenti-griseae; singulae lineas singulas tenues concolores juxta se habent. Ex costa non procul a basi linea tenuis oritur, quae obliquissime longe ultra punctum venae transversae producitur et inde cursu undulato valde obliquo redit ad medium fere marginem dorsalem. Margini postico punctula septem atra adjacent, singula singulas venas crassiores terminantia. Cilia cana in medio obsolete grisea. — Alae post. albidae, adversus apicem late griseae. Marginem posticum puncta fusca obsoleta notant. — Subtus alae ant. fuscescenti-cinereae, dorso dilutiore; post. exalbidae, in costa late cinerascentes. — Hab. in America, sed in qua ejus parte incertum est. — Specimen unum ♂ musei Vindob. descripsi.

115) POLIELLUS Tr. *Palpis longis; alis ant. angustis (♀ peracutis), margine postico oblique rotundato, cinereis canisve, squamis brunnescentibus adspersis, costa late obscurata, puncto venae transversae fusco, ciliis nitidulis.* ♂ ♀.

Chilo poliellus Tr. 9, 1. 118. Crambus poliellus Dup. X, 275. t. 283. f. 5. ♂. — HS. Pyr. 57. Tin. fig. 140. ♀.

Hab. in Silesia, Marchia, ducatu Megalopolitano, Hungaria, Russia australi (ad Sareptam); apud nos incolit pinetorum aperta graminosa Augusto mense exeunte et initio Septembris.

Adnot. Hübneri *Lotella* fig. 334 formam quidem *Polielli* ♂, sed nec palpos nec colorem habet; itaque nomen ex ea nunquam poterit desumi.

116) DELIELLUS Hübn. *Antennis ♂ longius serratis, palpis longis; alis ant. angustis (♀ acuminatis), margine postico rotundato, pallidissime ochraceis, linea ex basi ad apicem albida, ab initio inferius, deinde superius et latius fusco marginata, dorso fuscescenti-squamato, margine postico obsolete fusco-punctulato; post. albidis.* ♂ ♀.

Tinea Deliella H. 402. 403. Chilo Deliellus Zck. Germ. Mag. 2, p. 96. — Tr. 9, 1. 117. Crambus Deliellus Dup. X, p. 109. t. 275. f. 8. ♂. — HS. Pyr. p. 65. Agriphila Delialis H. Cat. 365.

Hab. in Hungaria, Germaniae frigidioris regionibus quibusdam (Francof. Viadr., Meseritz, Glogav., Brunsvig.) non rarus, in arenosis aridis post Augusti mensis medium. Ad Aquas Sextias eum captum esse Duponchel tradit.

117) TRISTELLUS SV. *Antennis ♂ setaceis, palpis longis; alis ant. elongatis, acutis (♀ acuminatis), margine infra apicem rotundato, luteo-stramineis, vena mediana crassa argentea, ramis pallidis, strigae posticae tenuis ex dorso adscendentis vestigio obsoleto, margine postico vix punctulato; post. cinereis.* ♂ ♀.

Tinea culmella H. 404. ♂. Chilo aquilellus Tr. 9, 1. 116 var. 1. — F. v. R. Beitr. p. 130. Crambus aquilellus, Dup. X, p. 106 t. 272 fig. 5 (cum var.) — HS. Pyr. 66. — Stainton Manual 2, 183. ? Tinea fuscinella Schrank Fn. 2, b. S. 100.

Var. *b)* al. ant. luteo-fuscescentibus, dorso dilutiore. Tinea culmella H. f. 50 ♂. Chilo aquilellus Zck. Germ. Mag. 2, 88. — Tr. 9, 1. 114. Tinea tristella F. E. S. 3, 2, 296. Crambus moerens Suppl. 473.

Var. *c)* al. ant. vena mediana tenui albida opaca, fusco interrupta et marginata. Tin. paleella H. 51. Chilo aquilellus Tr. var. 3. Agriphila obsoletalis H. Cat. 365.

Var. *d)* al. ant. luteo-fuscis, vena mediana non dilutiore. Tinea aquilella H. 52. Chilo aquilellus Tr. var. 5. Agriphila aquilalis H. Cat. 365. Tinea aquilella Wien. Vzchn. 134. — Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 296. Tinea ferruginella Thunberg Diss. p. 96.

Hab. in magna Europae parte tam planae quam montanae locis graminosis per Augustum mensem frequentissimus.

Adnot. Si Zinckenii verba sequeris, hoc loco *Haytiellum* ejus (Germ. Mag. IV. 254) pones, sed num recte iactarus sis, equidem dicere nequeo, quum nihil de hac re in schedulis meis inveniam adnotatum. Hoc solum teneas: specimen, quo in describendo usus est Zinckenius, valde corruptum fuisse, puncta vero duo, quae commemorat, non esse insignia potiusque squamulis conglomeratis effici, et alterum eorum inferius esse et in plica jacere. Ob malam hujus speciminis conditionem in hunc ordinem non recepi. Patria insula Sti Dominici.

118) SOLUTELLUS Koll. in lit. *Palpis longis, alis ant. acutis, margine postico infra apicem rotundato brunneo-fuscis, postice in venarum intervallis obsolete fusco striatis, vena mediana nivea in media ala in squamas soluta, margine postico obsolete nigro-punctato; post. fuscis.* ♂.

Colore obscuro omnium alarum, linea alba anteriorum vix ad medium perducta a *Tristello* valde distinctus, magnitudine *Culmello*, alarum forma *Contaminello* par. Caput et thorax brunneo-fusca. Palpi labiales thorace paulo longiores, satis tenues, longe acuminati. (Antennae desunt.) Pedes dilute grisei, antici praeter tarsos in latere adverso infuscati. Abdomen obscure cinereum. Alae ant. $4\frac{1}{2}'''$ longae, paulo angustiores quam in *Tristello* ♂ esse solent, acutae, margine postico subobliquo, infra apicem rotundato, colore ex luteo, brunneo fuscoque mixtae, costa basim versus late obscuriore. Squamae hic illic fuscae in lineas obsoletas congestae sunt, praecipue postice; linea talis longa in plica decurrit ad angulum internum. Etiam dorsum postice obsoletius fusco squamatum est. Vena mediana inde a basi lineam non admodum crassam niveam efficit, non nitidam, quae jam ante mediam alam in squamas sparsas solvitur. Puncta marginis postici nigra vix discernuntur. Cilia opace fuscescentia. — Alae post. fuscae, ciliis paulo dilutioribus. — Subtus alae fusco-cinereae, obscurae, posteriores obscuratae. — Hab. in Americae parte septentrionali fortasse. Marem unum musei Vindob. vidi.

119) SELASELLUS Hbn. *Antennis setaceis, palpis longis; alis ant. minus elongatis, acutis, margine postico rotundato, pallide griseo-ochraceis, vitta mediana incrassata argentea postice bifida, superius cinereo adumbrata, striga postica nulla, margine postico vix punctulato; post. cinereis.*

Tinea selasella H. 405. 406. Chilo selasellus Zinck. Germ. Mag. 2, 92. — Tr. 9, 1. 119. Crambus — Dup. X, p. 104 t. 272. fig. 3 ♂. — Stainton Man. 2, 183. Agriphila selasalis H. Cat. 365. Phalaena pratella Linn. Faun. 1369, descript. Cr. pratellus HS. Pyr. p. 66.

Simillimus *Tristello*, sed alis ant. paulo latioribus, colore pallide farinato-ochraceo, nunquam infuscato, striga postica semper deficiente distinguitur. — Hab. in Germaniae frigidioris pratis humidis Julio m. frequens, in Gallia prope Parisios, Anglia, Suecia, Russiae provinciis Casanensi et Orenburgensi.

Adnot. 1. In Linnaei Fauna legendum esse: „habitat cum sequente", non „cum praecedenti", ex Faunae editione prima liquet, ubi *Culmellus* praecedit. Ceterum verba in diagnosi scripta: „apice striis obliquis" docent, aliam speciem immixtam esse a Linnaeo; ideo nomen Hübneri recepi.

Adnot. 2. *Cr. perstrialis* Hübn. (Agriphila perstrialis H. Exot. fig. 457. 458 p. 18) num jure post *Selasellum* adscribatur, maxime dubium videtur, quod palpis brevioribus eum uti auctor nuntiat. Praeterea multo majorem esse quam *Selasellum* et vittam (quae in apicem alae directa et utrimque fusco marginata est) margaritae modo nitere et alas post. subpellucidas esse discimus. Patria Americae sept. civitas Georgia.

120) AENEOCILIELLUS Eversm. *Antennis setaceis, palpis longis; alis ant. subelongatis, acutis, margine postico inferius subrotundato, vitellinis; linea costali postice evanescente venaque media incrassata argenteis, hac postice fusco marginata et in ramos 4 breves soluta, striga postica nulla, margine postico nigro-punctato; post. cinereis.* ♂.

Chilo aeneociliella Ev. Fn. Volg. 546. Crambus quadrifidellus Lederer Zool. bot. Vereinsschrift III, p. 384. (Sep. p. 34) tab. 7 fig. 3 ♂.

Hab. in humilioribus montibus Uralensibus mense Julio (Eversm.); in Sibiriae montibus Altaicis ad flumen Irtisch (Led.)

121) GRAMMELLUS. *Palpis longis, alis ant. subelongatis, acutis, margine postico oblique rotundato, pallidissime ochraceis, vena mediana incrassata nivea nitidula ramum longissimum inferius exserente, vitta lutea eam superius marginante in alae apicem perducta, strigula venae transversae lineolisque marginis postici fuscis, ciliis niveis.* ♂.

Differt ab *Opulentello* alis ant. multo pallidioribus, venae medianae ramis praeter unum non albo coloratis, strigula, non macula venae transversae fusca, ciliis niveis etc. Caput lutescens, marginem oculorum superiorem linea albida cingit antice incrassata. Antennae crenulatae, puberulae, fuscescentes, in dorso albae, posterius albidae. Palpi labiales thoracis longitudine, tenues, postice subincrassati, apice acuminato, in latere externo griseo-brunnei, in basi subtus albi. Per collare et thoracis partem saltem anteriorem vitta gemina albida est ducta. Abdomen exalbidum, barba anali distincta. Alae ant. $5\frac{1}{2}'''$ longae, subelongatae, postice sensim latiores, acutae, margine postico oblique rotundato, infra apicem levissime retuso, stramineae s. pallidissime ochraceae. Vena mediana vittae instar nivea, nitidula, postice attenuata, pone venam transversam finita; ramus ex ea inferius ante medium oritur tenuis, albus, qui ab initio squamulis brunneis marginatus est nec angulum analem attingit. Marginem venae medianae superiorem vitta lutea efficit, quae ex tenui origine longius a basi orta adversus alae apicem flectitur et in eo ipso terminatur. Strigula fusca intra hanc vittam in vena transversa. In plica lineae obsoletae, albae, tenuis vestigium discernitur. Rami venae medianae valde expressi sunt, et sulci inter eos lineas breves ex margine postico ortas singulas continent squamis brunneis compositas, quarum una supremum ramum comitata et ultra strigulam transversam reducta vittam luteam a niveo venae medianae colore separat. Cilia nivea tota. — Alae post. dilute griseae, ad marginem posticum anguste flavescentes; cilia albida. — Alae ant. subtus fusco-cinereae; costa late dilute ochracea vittam efficit postice acuminatam et interius fusco marginatam; margo posticus inaequaliter exalbidus. — Patria fortasse Nova Hollandia. Marem unum vidi ex Saundersii museo.

122) OPULENTELLUS. *Palpis longis, alis ant. oblongis, acutis, margine postico obliquo leviter rotundato, lutescentibus, vena mediana incrassata, ramis ejus tenuibus, macula marginis postici triangulari vittaque prope costam in apicem desinente argenteis, ciliis obsolete striolatis.* ♂.

Similis *Grammello* et *Argyroneuro*; ab hoc vitta ex apice oriunda nec ad alae basim producta et rami venae medianae tenuissimi etc. distinguunt. — Caput et thorax lutea. Oculorum margo superior albescit; epistomium brunneum est. (Antennae desunt.) Palpi maxillares lutei, superne albidi; labiales thoracis longitudine, tenues,

acuminati, in latere externo luteo-brunnei, in basi subtus albi. Pedes medii pallide ochracei (reliqui desunt). — Abdomen flavido-griseum, barba anali distincta. — Alae ant. 6¼''' longae, oblongae, postice sensim latiores, acutae, margine postico subobliquo, leviter rotundato, lutescentes, antice dilutiores, ad venae medianae partem posticam et inter ejus ramos crebrius fusco squamatae; circa venulam transversam pulvis hic in lituram fuscam congestus est. Etiam pars alae dorsalis pulvere fusco irrorata videtur, quae res tamen, quum alae hic detritae sint, non est certa. Signorum ceterorum color niveus nitidus. Costa lineae tenuissimae instar ex basi ad dimidium usque nivea nitida. Ex apice vitta oritur, quae costam mox relinquit et citra medium longe acuminata desinit. Vena mediana ultra medium incrassata, deinde valde coarctata est; rami ejus quatuor distincti, tenuissimi, ab initio pulvere fuscescenti inter se separantur, deinde obsoletiores ad marginem posticum usque pergunt. Supra ramum supremum macula triangularis margini postico insidet, quae adversus alae apicem valde coarctata est ibique obsoletior fit. In plica ipsa linea subtilissima nivea decurrit pulvere fusco marginata et juxta primum venae medianae ramum desinit. Venae quoque subdorsalis color albidus satis perspicuus. Marginem posticum linea efficit fuscescens, in qua puncta obscuriora aegre discernuntur. Cilia nitida, in basi alba, exterius cana; in eorum parte inferiore striolae cinereae obsoletae. — Alae post. satis amplae, subrotundatae, griseae, ad marginem posticum flavidae; cilia albida. — Subtus alae ant. fusco-cinereae, costa et dorso angustius, margine postico late flavescentibus. Alae post. flavescentes, ciliis albidis. — Patria Terra Van Diemenii. Specimen masculum unum ex museo Saundersiano inspexi.

123) ARGYRONEURUS. *Palpis —; alis ant. oblongis, acutis, margine postico infra apicem retuso, griseo-ochraceis, vitta tenui subcostali, venaque mediana incrassata cum ramis argenteis, ramo secundo tertioque partim connatis, ciliis albidis nitidulis.* ♂.

Ab *Opulento* distinguitur vitta costali integra, ramis venae medianae crassis, secundo tertioque ex parte connatis argenteis etc. — Caput luteum, linea orbitae superioris alba, antice incrassata. Palpi maxillares lutescentes; (labiales desunt). Antennae dense serrulatae, puberulae, in dorso luteo-albidae. Thorax lutescens, (in medio detritus); collare in medio albidum. Pedes sordide albidi, antici in latere adverso brunneo-grisei. Abdomen lividum, barba anali distincta ochraceo-alba. — Alae ant. 6''' longae, minus elongatae, acutae, costa convexiuscula, margine postico oblique rotundato infra apicem profundius retuso, griseo-ochraceae. Vitta argentea angusta, utrimque attenuata, proxime ad costam, sed posterius paulo remotior, a basi ad apicem usque producta est. Vena mediana vittae instar incrassata in ramos quatuor solvitur, quorum duo ad marginem posticum usque propagati sunt; primus reliquis magis tenuis postice nitorem amittit; secundus et tertius crassi inter se ultra dimidium connati sunt, secundus deinde evanescit, tertius squamis fuscescentibus marginatus est; supremus a tertio valde distat, et utrimque squamis fuscescentibus marginatus est et in basi attenuatus et a vena mediana colore fuscescenti fere solutus; apex ejus in lineam transit, quae marginem posticum secuta prope alae apicem desinit. Venae subdorsalis pars magna postica alba. Linea marginalis subbrunnea, punctis paucis fuscis notata. Cilia nitidula, albida, lineam cineream continentia citra medium. — Alae post. dilute cinereae, ad marginem posticum flavidae, linea marginali lutescente; cilia alba. — Subtus alae ant. in medio fusco-cinereae, ceterum lividae, linea marginali tenui lutea. — Patria: Nova Hollandia prope Adelaide. Specimen unum ♂ musei mei descripsi.

124) LUTEELLUS SV. *Palpis longis, alis ant. acutis, margine postico rotundato,* ♂ *latiusculis, luteis, dorso fusco-pulverato, strigae posticae tenuis vestigio plerumque nullo, punctis marginis postici nullis, ciliis opacis;* ♀ *angustioribus, dilute griseis, fuscescenti-pulvereis, venis paulo dilutioribus.*

Tinea ochrella H. 55. ♂. — exoletella H. 48 ♀. — Chilo ochrellus Zck. Germ. Mag. 2. 100. Pediasia lutealis H. Cat. 365 (♂). Exoria convolutalis H. Cat. 367. Tin. luteella Wien. Vzchn. 134. Chilo luteellus Tr. 9, 1. 125. Crambus — Dup. X, p. 111. tab. 274. f. 1. a. c. (♂). d. (♀). — HS. Pyr. p. 66. Chilo luteella Eversm. Fn. 546.

Strigas in alis ant. ♂ binas distinctas, quas Hübn. pinxit, alii descripserunt, nunquam vidi, et quae striga interdum adest, ea tenuissima et obsoleta est et ante medium plane obliterata. — Feminae et magnitudo et alarum latitudo variat. — Hab. in magna Europae parte, in graminosis siccis a medio Junio usque ad Julii finem non rarus, *Cerusselli* saepe socius; etiam in Sibiria vivit et prope Sareptam in Russia australi. — Quem Motschulskius in „Études entomologiques" anno nono (1860) p. 38 in Japonia habitare scribit, cum non *Cr. lutellum* esse, sed speciem aliquam ex Genere *Chilone* vel *Schoenobio* (de qua re certo loqui conditio speciminis mala prohibet) comparato specimine ipso intellexi.

125) GEMINATELLUS Koll. in lit. *Palpis longis, alis ant. subelongatis, acutis, margine postico rotundato, pallide ochraceis, venarum ramis pallidis, utrimque griseo-marginatis, dorso rare brunneo-squamulato, margine postico nigro-punctato, ciliis griseis.* ♂.

Venarum rami dilute fusco-cinereo marginati, unde lineae geminatae griseae oriuntur, hanc speciem inter affines satis insigniunt; a *Plejadello*, cui venis al. ant. in marginem posticum excurrentibus duplicatis valde similis est, alis multo angustioribus acuminatis et ciliis opacis maxime distinguitur. — Caput, thorax et abdomen ex albido flavescunt. Palpi maxillares lutei, superne late pallidi; labiales thoracis longitudine, satis tenues, acuminati, pallidi, in latere externo lutei, in basi subtus albidi. (Haustellum deest, fortasse casu). Antennae simplices, microscopice ciliatae, in dorso exalbidae. Pedes sordide pallidi, antici in femorum et tibiarum latere adverso lutei. — Alae ant. 6''' longae, oblongae, postice vix ampliatae, margine postico rotundato, infra apicem nonnihil retusae, unde apex evadit valde acutus. Color pallidus s. exalbidus, costa latissime lutescente, dorso squamis brunneis adsperso. Venarum rami plerique paulo dilutiores, utrimque linea dilute fuscescenti-cinerea marginati, ita ut intervalla ipsa linearum longitudinalium geminatarum speciem prae se ferant. Margo posticus anguste ochraceus punctis nigris sex notatus, quae terminos venarum efficiunt et inferius magnitudine augentur. Cilia grisea in basi lineam continent nitentem, superius evanescentem. — Alae post. pallidae, ciliis albidis. — Subtus alae pallidae, ant. juxta costam late fuscescenti suffusae. — Patria fortasse Americae pars septentrionalis. Unum ♂ musei Vindobonensis examinavi.

126) PEXELLUS Kaden in lit. *Magnus, antennis maris griseis longe pectinatis, alis ant. subelongatis, acutis, margine inferius rotundato, rufescenti-griseis, squamulis fuscis crebro adspersis, vena mediana ramorumque ejus initiis dilutioribus, strigae posticae fuscescentis vestigiis obsoletis, punctulis marginis postici fuscis, ciliis opacis; post. griseis.* ♂.

Antennis pectinatis maxime insignis. Caput et thorax rufescenti-grisea; palpi maxillares ejusdem coloris (labiales desunt). Antennae griseae, pectinatae, pectinibus longis, fusco-nigris, pinnatis (maxima pars antennarum deest). Lineola albida oculos superne cingit. Pedes ochraceo-grisei. Abdomen lividum. — Alae ant. 7¼''' longae, longiusculae, postice modice dilatatae, acutae, margine infra medium rotundato, rufescenti-griseae, opacae, creberrime squamulis minutis fuscis adspersae, costa vittae obsoletae instar puriore magisque rufescente. Vena mediana ejusque ramorum initia pallida, satis conspicua. Paulo ante marginem posticum strigae fuscae margini parallelae initium obsoletum ex alae dorso nascitur, sed supra venam medianam non amplius discernitur. Margo posticus punctulis fuscis obsoletis 7—8 notatus est. Cilia grisea opaca. — Alae post. fuscescenti-cinereae, basim versus paulo dilutiores. Cilia dilutiora. — Subtus alae ant. fusco-cinereae, costa anguste lutescente, linea marginis postici fusca satis distincta; posteriores dilute cinereae, ad costam latissime obscuratae. — Hab. in Americae borealis civitate Georgia. Marem descripsi ex museo Kadenii; alios vidi in museis Vindob. et Berolin. Quem primum vidi, ejus capitis ornatus arti fraudulentae deberi visus est.

127) MACROPTERELLUS Koll. in lit. *Magnus, palpis longis, alis ant. elongatis, acutis, margine postico rotundato, pallide ochraceis, dorso concolore, punctis marginis postici nullis, ciliis opacis; post. cinereis, interius dilutis.* ♀.

Affinis *Lutecllo*, sed magnitudine gigantea, alarum ant. dorso non squamulato valde distinctus; colore quodammodo similis *Chiloni testacello*, sed verus est Crambus, alarum ant. margine postico inde ab apice rotundato. Maximus, *Chiloni* similis. Caput et thorax alis ant. concolor. Antennae tenuissimae, setaceae, articulis distinctis, levissime serratae, in dorso ochraceo-albidae. Palpi thorace longiores, attenuati, in latere externo fuscescenti-irrorati. Abdomen exalbidum. — Alae ant. 9''' longae, elongatae, postice sensim dilatatae, costa levissime convexa, acutae, margine postico toto subrotundato, pallidissime ochraceae, squamulis paucissimis inter venam medianam et marginem dorsalem dispersis. Vena mediana albida, qui color nec basim nec apicem attingit. Inter eam et plicam ex basi squamulae fuscescentes crebrius sparsae sunt, quae tamen mox evanescunt. Margo posticus non punctatus. Cilius exterius albida. — Alae post. ex basi albidae adversus marginem posticum, praecipue vero in apice griseseunt. Cilia albida. — Subtus alae ant. ochraceo-griseae, in disco fuscescenti-nebulosae, posteriores griseae, interius magis albidae. — Hab. in America septentrionali. Specimen unum ♀ musei Vindob. vidi.

C, d, ε. **128) LITHARGYRELLUS Hbn.** *Palpis mediocribus, alis ant. subelongatis, acutis (♀ angustioribus et acutioribus), margine postico subrotundato, nitidissimis, dilute ochraceo-griseis, venis vix dilutioribus.*

Tinea lithargyrella H. 228. ♂. (mala, non nitida). Chilo lithargyrellus Zck. Germ. Mag. 2, 99. — Tr. 9, 1. 128. Chilo lithargyrella Eversm. Fn. 547. Crambus lithargyrellus Dup. X, p. 116 t. 274 f. 6 ♂. (mala). — HS. Pyr. p. 66. — Stainton Man. 2, 184. — Selagia lithargyralis H. Cat. 371.

Hab. in Hungaria et Germaniae quibusdam tractibus, locis silvarum apricis, siccis, herbidis mense Augusto exeunte et initio Septembris non rarus; in Anglia rarissimus.

129) PERLELLUS Scop. *Palpis longis albidis griseisve, alis ant. elongatis, acutis, margine postico rotundato, nitidis, albidis exalbidisve; post. cinereis canisve.* ♂ ♀.

Var. b) al. ant. venis griseo suffusis ♂ ♀. — Tinea perlella Scop. Fn. Carn. 243. — Hbn. fig. 40. — Knoch Beitr. 1, 68. t. 4. f. 6 (♂). Chilo perlellus Zck. Germ. Mag. 2, 97. — Tr. 9, 1. 129. Chilo perlella Eversm. Fn. Volg. 547. Crambus perlellus Dup. X, p. 114. t. 274. fig. 2. a ♂ b ♀. — HS. Pyr. p. 66. — Stainton Man. 2, 181. — Z. Bresl. Ent. Zeitschr. 1850. Lep. p. 36. t. 3. f. 11. Selagia perlalis H. Cat. 371. — Tinea dealbella Thunb. diss. p. 96. (Var. b). Tinea argentella Fabr. Ent. syst. 3, 2. 296. — Crambus argenteus Fabr. Suppl. 471.

Var. c) minor, al. ant. quam maxime brunnescenti venosis. — Crambus Warringtonellus Stainton Syst. Cat. Brit. Tin. p. 2. — Manual 2, 181. — Z. Bresl. Ent. Zeitschr. 1850. p. 36. t. 3 f. 10. ♂ ♀. — Wocke Ent. Ztg. 1862, p. 36.

Var. d) minor, al. ant. perangustis, albis ♀. Z. Ent. Ztg. 1849, p. 313.

Hab. in magna Europae parte in pratis humidis frequens a medio Junio ad Augusti finem. — *Warringtonellum* nihil esse nisi varietatem minorem et obscuratam, quod Lederer jam dudum asseveravit, Wocke videtur demonstravisse.

130) SERICINELLUS. *Palpis longis niveis; alis ant. oblongis, acutis, margine postico infra apicem rotundato, niveis, nitidis; post. albis.* ♀.

Simillimus *Perlello*, distinguitur alis ant. brevioribus, niveis, magis etiam nitentibus, nulla flavedine inmixta. — *Perlellis* minoribus magnitudine par. Caput cum palpis niveum; palpi maxillares in dorso medio macula cinerea notati, labiales thorace paulo longiores, compressi, acuminati. Thorax minus pure niveus. Pedes sordide exalbidi. Abdomen albidum, in basi albidum, barba anali cana. — Alae ant. 5¼''' longae, oblongae, postice paulo latiores, acuti, margine postico infra apicem leviter retusae, inferius rotundatae, niveae, nitidissimae, sericeae cum ciliis. Alae post. tenerae nitidulae albae, venis prope apicem leviter obscuratis, ciliis niveis. — Subtus alae ant. fuscescenti-cinereae, venis obscuratis, marginibus costali et dorsali pallidissime ochraceis, ciliis niveis: post. albae, ad costam pallidissime ochraceae, venae subcostalis ramis brunnescentibus. — Patria Americae septentrionalis civitas Ohio. Unam modo possideo feminam.

131) ROSTELLUS Delaharpe. *Palpis longis, cinereis; alis ant. oblongis, postice dilatatis, acutis, margine postico subrotundato, sordide cinereis nitidissimis; post. dilute cinereis.* ♂ ♀.

Crambus Rostellus De la Harpe Faune Suisse Pyral p. 55. fig. 6. ♂. Crambus Monochromellus HS. Pyr. fig. 164. ♂ VI, p. 145.

Certissime alia haec est species quam *Perlellus*, sed optimum discrimen alarum latitudine efficitur. Al. ant. color adversus marginem posticum dilutior. Femina alas paulo angustiores habet. — Habitat in summis Helvetiae et Carinthiae alpibus. — Quum Delaharpei species nihil dubii praebeat, non apparet, cur HS novum nomen praetulerit.

132) LANGUIDELLUS Mann in lit. *Parvus, palpis longis cinereis; alis ant. oblongis, acutis, postice dilatatis margine postico obliquo, nitidulis, albidis, sub apicem sordidiusculis; post. cinereis, ciliis albidis.* ♂ ♀.

Var. b) alis ant. griseo-suffusis, dorsum versus albidioribus (♂ mus. Heyden).

Differt a *Perlello* magnitudine multo inferiore, qua *Culmellum* fere aequat, alisque anterioribus latioribus multoque acutioribus, colore minus fulgido, juxta costam paulo sordidiore. A *Rostello* quoque distinguitur parvitate et alarum latitudine et pallore. — Magnitudine *Culmello* minuto aequalis, alisque similiter formatis, sed acutioribus, margine postico rectiore. Caput ac thorax alba, vix nitidula. Palpi labiales thoracis longitudine, satis tenues, albidi, supra albi, in latere exteriore fuscescentes, articulo terminali paenultimum subaequante, attenuato, sub apicem infra fuscescente; maxillares in basi fusci, apice albi. Haustellum mediocre fuscum, dorso sordide albido.

Antennae setaceae, subintegrae, ♂ pubescenti-ciliatae, dorso albido. Pedes fusco-canescentes. Abdomen cinereum, barba anali maris majuscula, albido-ochracea, feminae tenui, albida. — Alae ant. ♂ $4\frac{3}{4}$—4''', ♀ $3\frac{1}{2}$''' longae, postice sensim dilatatae, elongato-triangulares, valde acutae, margine postico obliquo fere recto, costa fere recta, ante apicem paululum devexa, albidae, nitidae (in ♂ magis quam in ♀), juxta costam in vittae modum, sed obsoletissime grisescenti suffusae. Cilia sordide albida, nitida. — Alae post. cinereae unicolores, ciliis albidis. — Subtus alae omnes cinereae, anteriores fusco mixtae, costa postice anguste pallescente. Cilia sordide albida alis ipsis nitidiora. — Femina mare minor alis angustioribus, minus nitidis, anteriorum costa subtus albida, posterioribus supra dilute cinereis ad marginem anguste albidis, subtus albidis, venis late cinereo suffusis. (Specimen unum mus. Heyden.)

Var. b) ♂ differt alis ant. flavescenti-griseo suffusis, dorsum versus dilutioribus et fere in albidum colorem transeuntibus, griseo-ciliatis; posterioribus obscurius cinereis, cinerascenti-ciliatis. Subtus alae obscuriores quam in varietate *a*, costa anteriorum vix pallidiore. — Habitat in montibus Tyrolensibus (Heyden, Lederer); in Istriae monte Biocovo, ubi Mann mense Julio eum cepit.

CATHARYLLA n. g.

Novum genus hoc condendum putavi, ut ambitus Cramborum generis parte minueretur. Nota enim, qua facile Catharyllae ab his discernuntur, palpi labiales dimidiam thoracis mensuram non excedentes, non dubium est, quin levissima sit et ad genera separanda vix apta. Adde tamen, quod quae species hoc modo junguntur, affinitate quadam naturali cohaerent et alarum ant. colore albo sericeo vel argenteo ciliisque flavis maxime insignitae sunt. Ab Eromene, cum qua palporum forma congruunt, distinguuntur alarum ant. colore nitidissimo simplici et defectu atrorum punctorum, quae auro splendido in margine postico connectuntur; denique mares macula in illis alis pellucida carent.

1) TENELLA Z. *Alis ant. latis truncatis niveis costa tenuiter strigisque duabus ferrugineis, punctis marginis postici nigris, ciliis orichalceis.* ♂ ♀.

Crambus tenellus Z. Jsis 1839, 174.

Caput et thorax nivea. Palpi maxillares ferruginei, penicillo niveo; labiales caput duplum longi, mediocres, acuti, ferruginei, superne late nivei. Haustellum luteum, convolutum. Antennae simplices luteae, dorso albo-squamato. Macula ferruginea pone oculum. Tarsi omnes, femora tibiaeque pedum anteriorum ferruginea; tibiae posticae exalbidae; tibiarum anticarum apex, mediarum apex et medium nigricantia. Abdomen albidum, barba anali exalbida. — Alae ant. ♂ 5''', ♀ 6—7''' longae, latae, postice latiores (in ♀ maxima 4''' latae), margine postico fere recta truncato, apice acuto, niveae, nitidiusculae. Costa lineae instar ad basim latioris ferruginea. Strigae ferrugineae tenues duae; prior post medium, subundulata, superius arcuata; secunda margini propior, superius basim versus flexa itaque arcuata. Margo posticus angustissime ferrugineus punctis 7—8 atris triangularibus notatus. Cilia breviuscula pallide orichalcea, ad angulum internum argentea. — Alae post. latae flavido-albae. In margine postico punctula fusca obsoletissima. Cilia alba. — Subtus alae anteriores pallide ferrugineae, basim versus exalbidae; punctula marginalia atra septem. Posteriores albae, antice late flavescentes, punctulis marginis dimidii apicalis fuscis sex. — Patria: Brasilia circa Rio-Janeiro (Kollar). ♂ et ♀ mus. Vindobon., ♀ musei mei descripsi.

2) AURATELLA Clem. *Minor, pedibus anticis fuscescenti-luteis, palpis ferrugineis, superne albis; alis ant. latis, acutis, margine postico obliquo, argenteis, striga obliqua exterius concava ferruginea, strigulis marginis postici fuscis, ciliis pallide ferrugineis; post. albis.* ♂.

Crambus auratellus Clemens Contributions p. 204.

Specimen, quod examino, valde detritum impedit, quominus accurate describatur. Magnitudo *Flavipedellae.* Alae ant. oblongae, postice sensim et valde dilatatae, acutae, margine postico obliquo, levissime rotundato, subtus fusco-cinereae, postice in album mutatae; post. subtus albae, juxta costam latius cinerascentes. — Habitat in Americae septentrionalis civitatibus Massachusetts et Illinois.

†3) **NORWICHIANA H.** *Capillis et thorace ferrugineis; al. ant. elongatis, acutis, argenteis, basi, fascia media obliqua arcuque ante marginem medium puncta 3 nigra includente ferrugineis; post. cinereis, in basi dilutioribus, ciliis albidis.* ♀.

Tortrix — Hbn. fig. 252.

Patria, quae Europa certissime non est, America calidior videtur esse.

4) **LUSELLA.** *Parva, tibiis tarsisque anticis fuscescentibus, capite albo, vertice ferrugineo; alis ant. subelongatis, acutis, argenteis, costae maculis, altera parva media, altera triangulari ante apicem, lineaque marginis postici fusco-ferrugineis, ciliis pallidioribus; post. subhyalinis, albis.* ♀.

Minor quam *Flavipedella.* Caput album, vertice luteo-ferrugineo. Palpi maxillares ferruginei, articuli ultimi squamis niveis nitidis; labiales nivei, articuli penultimi latere externo ferrugineo. Antennae simplices, setaceae, lutescentes, dorso superius exalbido, nitidulo. Thorax albus, collaris medio luteo-ferrugineo. Pedes antici in latere adverso lutescentes, tibiis fuscescentibus, tarsis fuscis; postici albidi, tarsis fuscescentibus, articulorum apicibus albis. Abdomen albidum. — Alae ant. $2\frac{3}{4}'''$ longae, subelongatae, postice modice dilatatae, acutae, margine postico subobliquo, levissime convexo, niveae, nitidae. In costa maculae duae exstant fusco-ferrugineae, altera minuta in medio, altera major triangularis proxime ad alae apicem, ante quam striga obsoleta, sed in costa distinctior, adversus marginem posticum transit. Margo posticus linea fusco-ferruginea, moniliformi efficitur, quae tamen ante angulum internum desinit, ubi etiam ciliorum, quae pallide ferruginea et nitidula sunt, color fit albus. — Posteriores albae, subhyalinae, in margine ante apicem punctis tribus obsoletis fuscescentibusnotatae. Subtus ant. fumidae, postice in exalbidum mutatae, costa postice late ochracea; post. costa latius exalbida. — Hab. in Americae calidae insula Sti Thomae. Feminam unam possideo ipse.

Adnot. Quum tabulas Hübneri exot. comparare nunc non possim, hoc loco commemoro *Pusillalem* fig. 167, 168. similem quidem, sed non eandem speciem mihi visam fuisse, quam in schedulis meis ita definivi: „parva, alis ant. argenteis, striga media angulata, macula parva costae ante apicem ciliisque ferrugineis: post. albis.“ Patriam ignoro.

5) **NUMMULALIS Hübn.** *Palpis niveis, exterius ferrugineis, pedibus luteis nitidulis, anticorum tibiis tarsisque brunneis; occipite utrimque collarisque medio ferrugineis; alis ant. breviusculis, acutis, argenteis, puncto dorsi medii lineaque marginali fuscis, ciliis pallide ferrugineis albidisve; post. albis.* ♂ ♀.

Nummulalis Hbn. Exot. fig 185. 186.

Caput niveum, squamis occipitis et genarum utrimque ferrugineis. Palpi maxillares fusco-ferruginei, articulo terminali niveo, labiales superne et interius nivei, exterius ferruginei, in basi pallidiores, articulo postremo superius concavo. Haustellum luteo-squamatum. Antennae fuscae, dorso apicem versus cinereo, articuli basalis dorso cano. Thorax niveus nitidus, linea media collarisque medio ferrugineis. Pedes antici in latere adverso lutescentes, nitiduli, interdum fere metallici, tibiis obscurioribus, tarsis sensim fuscis; medii luteo inducti, adversus tarsorum apicem paulatim infuscati; postici albi, tarsis pallide ochraceis vel exalbidis. Abdomen album. — Alae ant. $5-5\frac{1}{2}'''$ longae, breviusculae, ♀ paulo longiores quam ♂, postice dilatatae, acutae, costa leviter convexa, margine postico subobliquo, modice rotundato, niveae, nitidae, costa ipsa in basi lutea, vel ex basi obscuriore ferruginea. Punctum dorsi medii nigrum vel brunneum, magnitudine variabili. Margo posticus linea efficitur lineolis fuscis septem composita ad apicem alae non perducta. Cilia pallide aurea vel argentea, basi tantum ferruginea. — Post. albae, nitidulae cum ciliis. — Subtus alae ant. infumatae, postice latissime pallidae, costa vittae instar ochracea; post. albae, ciliis costalibus exalbidis, margine postico ante apicem interdum punctulis luteis 4—5 notato. — Hab. in Americae septentrionalis civitatibus Ohio, Jllinois, Pennsilvania.

6) **FLAVIPEDELLA Z.** *Macula thoracis, collari, palporum basi pedibusque vitellinis; alis ant. oblongis, acutis, margine postico obliquo, niveis nitidis, linea marginis postici brunnea, ciliis pallide ferrugineis.* ♂.

Crambus flavipedellus Z. Lepidopt. Caffr. p. 73.

Hab. in Africae australis tractibus quibusdam. — Parva, alis ant. $3\frac{1}{2}'''$ longis, latitudine postice magis increscente quam in *Nummulali.*

7) **FUSCIPES.** *Palpis totis, capite thoracisque medio ferrugineis, pedibus anticis fuscis, alis ant. brevibus, acutis, margine postico oblique rotundato, argenteis, linea marginali fusca; dorso postice anguste ciliisque ferrugineis; post.* ♂ *cinereis,* ♀ *albidis in medio plerumque canis.*

Simillima sequenti, sed alis latis pedibusque anticis fuscis differt. — Caput ferrugineum; palpi toti ferruginei, labiales basim versus dilutiores. Antennae brunneae, ♀ dilutiores, ♂ sub apicem leviter crenulatae. Thorax argenteus, vitta media inde a capite ferruginea lata. Pedum anticorum coxae fuscescenti-luteae, femora et tibiae fusca, tarsi fusco-nigri; medii fuscescenti-lutei; postici sordide exalbidi, subtus fuscescentes, tibiae ♀ superius albae. Abdomen ♂ exalbidum, fasciculo anali distincto, ♀ albidum. — Alae ant. $4\frac{3}{4}$—6‴ longae, breviusculae, ♀ magis elongatae quam ♂, postice sensim latiores, acutae, margine postico suboblique rotundato, argenteae, nitidissimae. Costa ipsa lutea, in basi fuscescens. Linea marginis postici non interrupta ex alae apice descendit squamisque nigricantibus composita est, et juxta eam cilia, quae dilute sunt ferruginea, squamis obscurius ferrugineis obtecta sunt. Margo dorsalis inde a ciliis squamis densis ferrugineis tectus est, quae cum facile detergeantur, plerumque procul ab alae medio desinunt; in ♂ autem spatium latius explent lentiusque adhaerent. — Alae post. ♂ luridae, maxima parte cinereo obtecta praeter marginem dorsalem; cilia quoque livida; ♀ alae albae, nitidulae, plerumque anterius cinereo suffusae. — Subtus alae ant. obscure cinereae plerumque ante marginem anguste pallidae et costa ipsa postice dilute ochracea, quemadmodum cilia. In femina costa tota anguste flavescit et spatium ante marginem latius albescit. Alae post. ♂ in costa et in apice late, ♀ anguste et levius infumatae sunt. — Hab. in Americae septentrionalis civitate Illinois.

8) **LUCIDELLA Z.** *Palpis totis, capite et thorace medio ferrugineis, pedibus anticis cinereo-luteis; alis ant. elongatis, acutis, margine postico obliquo, argenteis, linea marginali fusca, dorso postice ciliisque ferrugineis; post. albis.* ♀.
Crambus lucidellus Z. Isis 1839. 174.

Proxima *Fuscipedi*, cujus varietas esse propter alas angustas non videtur. Caput, palpi et thorax medius sordide et dilute ferruginea, antennae fuscescentes. Pedes antici et medii griseo-lutei, tarsi antici magis infuscati; pedes postici albidi, tarsis lutescentibus. (Abdomen deest.) — Alae ant. $4\frac{3}{4}$‴ longae, elongatae, postice tantum $1\frac{1}{4}$‴ latae, acutae, margine postico obliquo, levissime rotundato, niveae nitidissimae, costa in basi tantum luteola, linea marginali ut in *Fuscipede* nigricante. Cilia marginalia et dorsalia pallide ferruginea et in basi squamis obscurioribus tecta. Squamae marginis dorsalis angustiorem lineam formant non ad medium pertinentem, sed eam facile deleri inde patet, quod adeo citra medium vestigia ejus discernuntur. — Alae post. albae, paulo breviores et sub apicem acutiores quam in *Fuscipede*. Subtus alae ant. lutescenti-griseae, venis distinctioribus, post. ad costam vittae instar grisescentes. — Patria Brasilia.

9) **NIGROCILIELLA Koll. in lit.** *Palpis luteis, superne niveis, pedibus anticis lutescentibus; alis ant. angustulis, acutis, margine postico subobliquo, niveis nitidis, linea marginali nigra; post. niveis.* ♀.

Flavipedellae magnitudine fere par. Corpus totum niveum. Palpi maxillares brunnei, superne nivei; labiales acuminati, lutescentes, exterius obscuriores, superne late nivei. Antennae luteae, dorso niveo. Collare in medio ferrugineum fuisse videtur. Pedes antici in adversa parte lutescentes, reliqui albi, tarsis pallide lutescentibus, pulvillis nigris. — Alae ant. 4‴ longae, elongatae, postice sensim dilatatae, acutae, margine postico subobliquo, niveae nitidae, costa ipsa angustissime lutescente. Linea marginis postici tenuis nigra. Cilia albida esse videntur, maximam ad partem detrita. — Alae post. niveae, subnitidae, ciliis concolores. — Subtus alae omnes niveae, nitidulae, ant. adversus basim suffusae. — Hab. in India orientali circa urbem Bombay. Specimen unum musei Vindobonensis valde detritum descripsi.

Adnot. *Tineam niveam* Fabr. E. S. 3, 2. 296 (Crambum niveum Suppl. 472) hic commemoro, quum, quamquam *Cr. perlelli* affinem esse Fabricius scribit, hujus generis esse videatur.

EROMENE H. (Euchromius Gn. Cat. p. 86.)

Frons ♂ angustior quam ♀. Ocelli pone oculos distincti. Antennae setaceae, compressae, crenulatae, puberulae. — Palpi maxillares breviter triangulares, labiales porrecti, thoracis longitudinem vix aequantes, acuminati. Haustellum mediocre, convolutum, basi squamata. — Alae anteriores ramo venae subcostalis secundo furcato et in costam exeunte, cellulae medianae basi in ♂ maculam pellucidam continente, margine postico inferius punctis atris orichalceo-nitentibus ornato; posteriores in basi pectine instructae. —

Differt a generibus praecedentibus primo adspectu marginis al. ant. postici signis, praeterea striga alba media obscurius marginata, et maris triangulo ante medium posito in latere inferiore squamis ita destituto, ut pellucidum appareat.

1) **BELLA H.** *Alis ant. breviusculis, spatio basali griseo-ochraceo, fascia media subperpendiculari curva ochracea interius argenteo marginata, spatio postico pallido fusco-punctulato, striga gemina fusca distante a punctis atro-orichalceis marginalibus.* ♂ ♀.

Tinea bella H. fig. 60. Chilo bellus Tr. 9, 2. 268. Crambus — HS. Pyr. p. 67. — Z. Isis 1847, 760. — Dup. X, p. 81. t. 270. f. 7 ♂.

Tribus sequentibus major, a *Zonella* et *Ramburiella* differt fascia ochracea interius argenteo marginata, qui color argenteus et ipse fasciam, paulo tamen angustiorem, format; ab *Anapiella* fasciae ochraceae forma exterius concava et striga gemina a margine postico magis remota facile distinguitur. — Hab. in Hungaria, Gallia australi, Italia, Asiae quibusdam partibus.

2) **ZONELLA Metzn.** *Alis ant. breviusculis, pallidissime ochraceis, fusco-pulvereis, striga media subperpendiculari superius flexa, interius albo marginata, macula postica ochracea grisco cincta, striga gemina fusca distante a punctis atro-orichalceis marginalibus.* (♀).

Crambus Zonellus Z. Isis 1847, 758.

A *Ramburiella* et *Superbella* differre videtur parte fasciae ochraceae superiore introrsus flexa, et striga gemina longius a margine postico distante; sed quum specimen illud *Zonellae* non potuerim cum *Superbellis* ipsis comparare, pro certo affirmare nequeo, utrum HS. opinio, qua in unam specimen jungendae sunt, falsa sit an justa. — Hab. in Siciliae agro Panormitano.

3) **WOCKEELLA.** *Alis ant. breviusculis, ex basi ad fasciam usque exalbidis, fascia media subperpendiculari ochracea, spatio postico fusco-punctulato, striga marginali antice in triangulum dilatata exalbida, punctis atro-stanneis marginalibus.* ♂ ♀.

Valde insignis haec est alarum ant. dimidio basali toto et spatio antemarginali antice in triangulum subito aucto pallide flavis; forma tamen alarum non differt a *Superbella*. — Caput et thorax sordide ochracea, palpi labiales vix thoracis longitudine, interius pallidi, exterius fuscescentes; antennae maris setaceae, brevissime pubescenti ciliatae. Pedes lividi, tarsi postici in articulorum apicibus albidi. Abdomen griseum, albido obsolete annulatum. Alae ant. 3‴ (♀ $3\frac{1}{2}$) longae, breviusculae (♀ paulo longiores), postice sensim latiores, margine postico leviter rotundato. Spatium inde a basi ad fasciam usque pallidissime flavum s. exalbidum, squamis brunneis raris adversus basim sparsis, praecipue juxta costam, quibus tamen color primarius vix mutatur. Fascia paulo ante medium fere perpendicularis, linearis, ferruginea, utrinque violaceo-cinereo marginata. Spatium, quod deinde sequitur, pallidum quidem est, sed totum punctulis elongatis s. lineolis fuscis adeo confertis tectum, ut e longinquo adspectum cinereum praebeat; sola fasciae et costae vicinia minus squamata est. In venae transversae regione haec puncta in lineolam inconcinne angulatam obsoletam coëunt. Terminus hujus spatii punctulati per strigam tenuem fuscam fit, quae in angulum profundum margini postico supra medium propinquum frangitur. Quantum alae spatium reliquum est, strigam format supra marginem medium in triangulum magnum extensam et colore est pallide flavo, quemadmodum alae basis. Margini infra medium puncta atra 6—7 insistunt et lineolis tribus argenteis marginalibus in tria juga composita sunt, quorum medium punctis tribus constat. Margo prope apicem anguste ferrugineus. Cilia pallide orichalcea. — Alae post. cinereae, striga obsoleta obscuriore ante marginem flavido canescentem, quem linea fuscescens sequitur hic illic distinctior. Cilia cana. — Subtus alae nitidae canae (ant. cinereae), spatiis antemarginalibus pallidissime flavidis interius abrupte terminatis. Puncta marginalia atra satis distincta. Cilia ant. metallica, post. nitida. — Patria Etruria, tempus m. Majus. (♂ et ♀ in mus. Wockeano).

†4) **RAMBURIELLA Dup.** *Alis ant. oblongis, postice dilatatis griseis, striga media ochracea recta interius albo marginata, macula postica ochracea grisco cincta, striga gemina fusca prope puncta marginalia atro-orichalcea; post. albidis.*

Crambus Rambunellus Dup. X, p. 83. t. 270. f. 8. — HS. Pyr. 68. Tin. fig. 187. — ?Phycis funiculella Eversm. Fn. Volg. p. 562.

Ab *Er. superbella* puncto post fasciam ochraceo, fuscescenti-cincto certissime differt, si tale vere habet. Dup aureum esse scribit, albidum piagit. Praeterea alarum ant. forma longior (quae tamen nequaquam longior est in Dup. figura) et post. color albidus adminiculum distinctionis praebere videntur. Eversmann, qui nullam puncti ochracei mentionem facit, suam speciem majorem adeo quam *Nyct. achatinellam* indicat, quare nescio annon jure HS. hanc *funiculellam* huc retulerit. — Hab. in insulae Corsicae pratis mense Majo (Dup.) et in montibus Uralicis humilioribus (Ev.)

5) **SUPERBELLA Mann.** *Alis ant. breviusculis, canis, fusco pulverosis, fascia media subperpendiculari, ochracea, interius albido-marginata, puncto post eam squamis fuscis congesto, striga gemina fusca proxime ante puncta marginalia atro-orichalcea in spatio albido collocata, ciliis orichalceis; post. cinereis.*

Crambus superbellus Mann Z. Ent. Ztg. 1849, 344. ?— Anapiellus HS. Pyr. p. 68. Tin. fig. 146.

Fasciae color in hac minus laetus quam in *Er. bella*; margo ejus interior albidus opacus adversus marginem dorsalem latescit. Punctum illud fuscum, quod in superiore disci parte post fasciam jacet, squamulis fuscis congestum est supraque se spatium minutum albidum squamis fuscis vacuum habet. — Differt haec a sequenti alis minus elongatis, fasciae margine plane non nitido, punctorum marginalium numero minore, puncto post fasciam fusco, ciliis orichalceis etc. — Hab. in Etruria ad oram maritimam mense Junio; in Vandalusia (Wocke).

Adnot. Herrichii figura alas habet nimis elongatas nec ea deligentia confecta est qua debebat, ut discrimen inter *Superbellam* et *Anapiellam* facile posset cognosci.

6) **ANAPIELLA Z.** *Alis ant. oblongis, postice dilatatis, in spatio basali pallidissime ochraceis, fascia media perpendiculari ochracea, interius subargenteo-marginata, litura post eam fuscescenti in medio diluta, striga gemina fusca proxime ante puncta marginalia atro-orichalcea; post. cinereis.* ♂ ♀.

Crambus Anapiellus Z. Isis 1847, 757.

A *Superbella* ceterisque certissime distincta, omnium minima. Puncta atro-orichalcea quadrijuga in spatio pallidissime flavo; cilia non nitida. — Figuram HS. huc non pertinere puto. — Hab. in Sicilia in Anapi fluminis pratis herbidis Junio mense.

7) **VINCULELLA Metzn.** *Alis ant. angustis, griseis, striga post medium obliqua, ochracea, interius cano-marginata, striga gemina fusca ante puncta marginalia.* ♂.

Crambus vinculellus Mtzn. Z. Isis 1847, p. 760.

Alae ant. huic paulo minus elongatae quam *Er. ocelleae*, nec spatium strigis ochraceae et geminatae interpositum squamulis elongatis fuscis conspersum. — Quum hoc spatium in HS. fig. 145 irroratum sit, non audiendus est HS., qui eam huc pertinere dicit. — Habitat in Sicilia.

8) **OCELLEA Haw.** *Alis ant. elongatis pallide-griseis, fascia post medium obliqua ochracea strigam argenteam continente, spatio post eam cano fusco-punctulato, striga geminata proxime ante puncta marginalia; post. albidis vel cinereis niveo-ciliatis.* ♂ ♀.

Palparia ocellea Haw. Lep. Brit. p. 486. Araxes ocellea Steph. Illustr. IV, 316. *Crambus Cyrilli Costa Dizion. univ. di Agric. Ediz. Nap. V. XI. Art. Falena (1829). Phycis cirillella Costa Faun. Napol. Phycid. p. 2. tab. 5. fig. 2 (pessim.) Phycis funiculella Tr. 9, 1. 200. Crambus funiculellus Z. Isis 1839, 175. Dup. Cat. 319. Crambus Cyrilli Z. Isis 1847, 760. — HS. Pyr. p. 67. Tin. fig. 144 (var. al. post. albidis), 145 (var. al. post. cinereis).

Hab. in Europae partibus calidissimis et in Asia Europae propinquiore, praecipue in oris maris mediterranei.

Adnot. Quum in hac specie constet et strigae argenteae cursum variabilem et alas post. colore modo albido, modo obscuro esse, non dubium est, quin HS. figuram 145 ab *Ocellea* perperam separare voluerit.

Index nominum.

Genera:

Ancylolomia 9
Argyroteuchia 14
Calamotropha . . . 8
Catharylla 50
Catoptria 15
Chilo 6
Chrysoteuchia 14
Eromene 52
Euchromius 52
Prionopteryx . . . 13
Schoenobius. . . . 3
Scirpophaga . . . 1
Thysanotia 14

Species.

abruptella Tin. 28
achatina Prionopt. . . 13
acrochalcellus Cr. 24
acuminella Tin. 6
acutangulellus Cr. . 35
acutellus Schoenob. . 5
adamantellus Cr. 30
adippalis Argyrot. 20
adippellus Chilo 20
aeneociliellus Cr. . . 46
agitatellus Cr. 21
alba Bomb. 1
albellus Cr. 23
albinella Scirpoph. . . . 1
albinella Scirpoph. . . 3
alboclavellus Cr. . . . 19
alfacarellus Cr. 22
alienellus Cr. 20
alpinellus Cr. 15
anapiella Erom. 54
anapiellus Cr. 54
angulatellus Cr. 42
angulella Tin. 8
apicellus Cr. 31
aquilellus Chilo 45
arbustella Tin. 4
arbustella Tin. . . . 41. 43
argentella Tin. 49
argyreus Cr. 49
argyroneurus Cr. . . 47
aridellus Cr. 35. 36
atkinsoni Calam. . . . 9
auratella Cathar. . . . 50
auratellus Cr. 50
aureliella Calam. . . . 9
aureliellus Cr. 9
aurescens Chilo 9
auriferellus Cr. 16
auriflua Scirpoph. . .. 2
barbipalpellus Cr. 40
bella Erom. 53
bipunctellus Cr. . . . 23
bisectellus Cr. 32
bivittellus Cr. 34
cacuminellus Cr. 28
caminarius Schoenob. 8
campella Tin. 27
candiellus Cr. 15
capensis Ancyl. 9
carectellus Cr. 15
caricetalis Chrysot. . . . 25
cassentiniellus Cr. . 27
catalauniellus Cr. 15
catoptrellus Cr. . . . 30
cerussellus Cr. 16
cervinellus Cr. 43
cespitella Tin. 25
chalybirostris Cr. . . 40
chrysellus Chilo 41
chrysographella Anc. 9
chrysonuchella Tin. . . . 26
chrysonuchellus Cr. 27
chrysorrhoa Scirp. . 1
chrysostomus Schoen. 3
cicatricellus Chilo . 8
cinerea Scirp. 1
cirillella Phycis 54
combinellus Cr. . . . 39
conchellus Cr. 29
contaminellus Cr. . . 43
contritella Ancyl. . . 12
convolutalis Exor. 47
corsicellus Cr. 20
coulonellus Cr. 39
craterella Tin. 26
culmella Tin. 45
culmellus Cr. 40
culmicolellus Chilo . 7
cyrilli Cr. 54
dealbella Tin. 49
decorellus Cr. 26
delicatellus Cr. 41
deliellus Cr. 45
desertellus Cr. 42
digitellus Cr. 38
diplogrammellus Cr. 41
dubia Tin. 1
dumetellus Cr. 24
elegans Cr. 27
enemoralis Argyrot. . . . 23
ensigerellus Chil. 17
ericellus Cr. 20
eumargaritalis Catoptr. 30
eximiellus Cr. 25
exoletella Tin. 47
exsiccatus Cr. 37
extinctellus Cr. . . . 20
falsella Tin. 24. 28
falsellus Cr. 28
fascelinellus Cr. . . . 35
ferruginella Tin. 45
festivellus Cr. 36
forficellus Schoenob. 4
flavipedella Cathar. 51
fulgidellus Cr. 31
funiculella Phyc. 54
furcatellus Cr. 35
fuscicostellus Cr. . . 44
fuscinella Tin. 45
fuscipes Cathar. 51
fuscisquamellus Cr. . . . 37
geminatellus Cr. . . 48
geniculeus Cr. 42
gigantellus Schoenob. 4
gilviberbis Scirp. . . 2
girardellus Cr. 19
halterellus Cr. 33
hamellus Cr. 17
hapaliscus Cr. 17
haytiellus Cr. 45
heeriellus Cr. 30
hercyniae Cr. 29
heringiellus Cr. . . . 20
hortuellus Cr. 24
illibalis Chilo 7
immistella Tin 42. 43
incertella Prionopt. . 14
incertellus Cr. 28
incrassatellus Cr. . . 32
inquinatellus Cr. . . 42
inquinatellus Cr. 43
involutellus Cr. 18
jucundellus Cr. . . . 36
kadenii Cr. 16
kindermanni Cr. . . 37
labradoriensis Cr. . 21
lanceolella Tin. 4
languidellus Cr. . . 49
lapponicellus Cr. 35
laqueatellus Cr. 24
lathoniellus Chilo 23
latidactyla Aluc. 1
latistrius Cr. 31
lativittellus Cr. 18
leachellus Cr. 18
ledereriellus Cr. 35
leucatea Scirp. 2
lienigiellus Cr. 28
linearellus Cr. 44
lineatus Cr. 26
linetella Tin. 26
lithargyrellus Cr. . 49
locupletella Ancyl. . 10
longirostrellus Schön. 5
lucidella Cathar. . . . 52
luctiferellus Cr. . . 30
luctuellus Cr. 30
lusella Cathar. 51
lutealis Pedias. 47
luteellus Cr. 41
luteellus Cr. 47
lythargyrella Tin. 49
macropterellus Cr. 48
maculalis Cr. 28
malacellus Cr. 17
margaritellus Cr. . . 30
matricellus Cr. 43
minutellus Schoen. . 5
moerens Cramb. 45
monochromellus Cr. . . 49
monostigma Scirp. . 3
monotaeniellus Cr. . 32
montivagellus Schoen. 5
mucronalis Topeut. . . . 4
mucronatus Cr. 6
mucronellus Schoen. 6
murinellus Cr. 41
myellus Cr. 29
mytilellus Cr. 29
nebulifera Prionopt. . 13
nemorellus Cr. 23
neuricellus Chilo . . 8
nigrociliella Cathar. 52
norwichiana Cathar. 51
nummulalis Cathar. . 51
obliteratellus Chilo . 8
obsoletalis Agriph. . . . 45
obtusellus Chilo 9
ocellea Erom. 54
ocellellus Cr. 20
ochrella Tin. 47
opulentellus Cr. . . . 46
orientellus Cr. 39
paleatellus Cr. 42
paleella Tin. 45
pallidellus Cr. 15
palpella Ancyl. 12
palpigeralis Ancyl. . . . 12
paludella Calam. . . . 9
pascuellus Cr. 20
pauperellus Cr. . . . 29
pectinatella Ancyl. . 12
pedriolellus Cr. 36
pentadactylus Cr. . . 38
perlellus Cr. 49
permutatellus Cr. . . 30
perstrialis Cr. 46
petrificella Tin. 39
petrificellus Cr. . . . 48
phantasmatella Tin. . . . 1

phantasmella Tin. 1
phragmitellus Chilo 8
pinella Tin. 29
pinctellus Cr. 29
plejadellus Cr. 26
poliellus Cr. 45
polyactinellus Cr. . 25
porcellanellus Cr. . 23
praefectellus Cr. . . 17
praelata Scirp. 1
pratella Tin. . . 22. 24. 26
pratellus Cr. 22
pratellus Cr. 46
pratorum Cr. 22
pudibundellus Cr. . 26
pulchellus Cr. 18
punctellus Schoenob. 4
pusillalis Cathar. . . 51
pusionellus Cr. 16
pyramidellus Cr. . . 30
quadrellus Cr. 16
quadrifidellus Cr. 46
radiellus Cr. 34
radiellus Cr. 35
radiolellus Cr. 35
ramburiella Erom. . 53
ramosellus Cr. 35
rhombellus Cr. 29
rorellus Cr. 26
rostellus Cr. 49
ruricolellus Cr. . . . 40
saccharalis Pyr. 8
saltuellus Cr. 22
satrapellus Cr. 16
saundersiella Ancyl. 10
saxonellus Cr. 41
selasellus Cr. 46
sericinellus Cr. 49
sicarius Schoenob. . . 8
siculellus Cr. 43
silvellus Cr. 20
simploniellus Cr. . . 39
solutellus Cr. 45
sordidellus Schoenob. 4
specularis Cr. 29
spuriellus Cr. 36
staudingeri Cr. . . . 28
stentziellus Chilo 29
strigella Tin. 25
strigellus Chilo 8
straminella Tin. 40
subflavellus Cr. . . 37
sublicellus Cr. 31
subtilellus Cr. 44
superbella Erom. 54
superbellus Cr. 54
surinamella Scirp. . 2
suspectellus 42
taeniellus Cr. 39
tenella Cathar. 50
tentaculella Ancyl. . 12
tentalis Ancyl. 12
terminellus Cr. . . . 27
terrellus Cr. 27
tersellus Cr. 42
teterellus Chilo 27
tigurinellus Cr. 20
torpidellus Chilo . . 7
trabeatellus Cr. . . . 42
treitschkeella Tin. . . 8. 35
trichostomus Cr. . . 28
tristellus Cr. 45
trivittatus Cr. 35
truncatellus Cr. . . . 28
uliginosellus Cr. . . 21
unicolorellus Chilo . 7
vectifer Cr. 33
verellus Cr. 28
vinacella Tin. 40
vinculella Erom. 54
virginea Scirp. 2
virginella Tin. 29
vulgivagellus Cr. 40
warringtonellus Cr. . . . 49
westwoodi Ancyl. . . 11
wockeella Erom. . . 53
zinckenellus Chilo 20
zonella Erom. 53
zonellus Cr. 53

Emendanda.

p. 1 lin. 12 (ab inf.) et alibi pro Praelatella leg. Praelata.
p. 5 l. 1 pro palp. — palpi.
p. 6 l. 2 (ab inf.) pro diversa — diversus.
p. 9 l. 25 pro purpurescente — purpurascente.
p. 12 l. 18 adde: Ancyl. — HS. Pyr. p. 69. Tin. fig. 133 ♀ 157 ♂. Crambus — us Z. Isis. 1847, 747.
p. 16 l. 1 pro fucis — fuscis.
p. 22 l. 13 pro logitudine — longitudine.
p. 23 l. 23 pro ordinari — ordinaria.
p. 25 l. 20 pro bis ve — bisve.
p. 28 l. 1 (ab inf.) pro te — et.
p. 32 l. 1 pro vectigero — vectifero.
p. 38 l. 13 pro cineroque — cinereoque.
p. 39 l. 7 (ab inf.) pro fusce — fuscam.
p. 41 l. 14 pro margino — margine.
p. 42 l. 23 pro straminei — stramineis.
p. 42 l. 30 pro schistacea-griseis — schistaceo-griseis.
p. 47 l. 3 (ab inf.) pro lutellum — luteellum.
p. 48 l. 3 (ab inf.) pro cilius — cilia.

